208.5
D923T

Digitized by the Internet Archive
in 2026

https://archive.org/details/studiafriburgens0000drpa

STUDIA FRIBURGENSIA

HERAUSGEGEBEN

UNTER DER LEITUNG DER DOMINIKANER-PROFESSOREN
AN DER UNIVERSITÄT FREIBURG i. d. SCHWEIZ

JOANNIS DUNS SCOTI

DE

COGNITIONIS DOCTRINA

AUCTORE

Dr PAULO TOCHOWICZ

ALMA COLLEGE
LIBRARY
Alma, California

FREIBURG, SCHWEIZ
STUDIA FRIBURGENSIA

PADERBORN
BONIFACIUS-DRUCKEREI
G. M. B. H.

1926

PARIS
LIBRAIRIE DES JEUNES
3, RUE DE LUYNES

STUDIA FRIBURGENSIA

HERAUSGEGEBEN

UNTER DER LEITUNG DER DOMINIKANER-PROFESSOREN
AN DER UNIVERSITÄT FREIBURG I. d. SCHWEIZ

JOANNIS DUNS SCOTI

DE

COGNITIONIS DOCTRINA

AUCTORE

Dr PAULO TOCHOWICZ

FREIBURG, SCHWEIZ
STUDIA FRIBURGENSIA

PADERBORN
BONIFACIUS-DRUCKEREI
G. M. B. H.

1926

PARIS
LIBRAIRIE DES JEUNES
3, RUE DE LUYNES

JOANNIS DUNS SCOTI

DE

COGNITIONIS DOCTRINA

AUCTORE

Dr PAULO TOCHOWICZ

FREIBURG, SCHWEIZ
STUDIA FRIBURGENSIA

PADERBORN
BONIFACIUS-DRUCKEREI
G. M. B. H.

1926

PARIS
LIBRAIRIE DES JEUNES
3, RUE DE LUYNES

34362

TABULA MATERIAE

Paginae.

Tabula materiae . . . . . v-vii
Opera citata viii
Praefatio 1-4
Introductio 5-16

Thesis I. Homini ideae innatae sunt nullae.
Thesis II. Homini cognitioni acquirendae suae illuminatio divinitus emissa minime necessaria.
Thesis III. Homo indiget duplici cognitione : tum sensitiva, tum intellectuali.
Thesis IV. Cognitioni intellectuali sensitiva subordinatur.

A. — PARS PRIMA

De cognitione sensitiva.

I. Potentiae sensitivae 17-19

CAPUT I. De sensibus externis 20-25

§ 1. Numerus quinarius et ordo.
§ 2. Sensuum externorum objecta.
I. De qualitatibus corporalibus, quatenus objectis propriis quinque sensuum externorum.
II. De actuali existentia, quatenus proprio quinque sensuum externorum objecto.

CAPUT II. De sensibus internis 26-45

§ 1. Sensus communis.
§ 2. Phantasia vel imaginativa.
§ 3. Memoria sensitiva.
§ 4. Aestimativa.
§ 5. S. Thomae de aestimativa doctrina.

II. Actus sensationis 46-50

§ 1. Actus primus.
§ 2. Actus secundus.

Paginae.

III. Quid valeat quamque secura sit cognitio sensitiva ? . . 50-58

§ 1. Fontes in operibus Duns Scoti.
§ 2. Status quaestionis vel positio problematis.
§ 3. Solutio problematis.

B. — PARS SECUNDA

De cognitione intellectuali.

I. De intellectus objecto proprio 59-73

1. Sancti Thomae de primo intellectus humani objecto doctrina.
2. Duns Scoti de primo intellectus humani objecto doctrina.

§ 1. Primum intellectus objectum quotuplex sit deque quo hic agatur ?
§ 2. Duns Scoti thesis ejusdemque probatio.
§ 3. Duns Scoti, de objecto proprio intellectus humani, doctrina unde sit orta ?

II. De variis generibus cognitionis intellectualis : 74-130

1° De singularis cognitione intellectuali intuitiva 74-92
1. Sancti Thomae de singularis cognitione intellectuali doctrina.
2. Duns Scoti de cognitione directa intuitiva singularis sensibilis doctrina.

§ 1. Fontes.
§ 2. Duns Scoti, de singularium cognitione intellectuali intuitiva, doctrina unde sit orta ?
§ 3. De cognitionis intuitivae intellectualis singularis materialis natura, eidemque cognitioni probandae argumenta.
§ 4. Quomodo intellectus cognoscat singulare sensibile ?
§ 5. Quos effectus produxerit Scoti de cognitione intellectuali singularis doctrina ?

2° De cognitione abstractiva. 93-118
a) De phantasmate.
1. Fontes.
2. Notio phantasmatis ejusdemque ad cognitionem abstractivam necessitas.
3. Rationes quarum ergo intellectus ad intelligendum phantasmate necessario indigeat.

Paginae.

b) De specie intelligibili.

1. Fontes.
2. De specie intelligibilis notione ejusdemque in cognitione abstractiva necessitate.
3. Quomodo Scotus probet speciei intelligibilis necessitatem.

c) Intellectus agens et possibilis.

De intellectus agentis et possibilis necessitate, muneribus, relationibus inter se.

1. Actus primus vel abstractio proprie dicta.
   § 1. Fontes.
   § 2. Abstractionis notio.
   § 3. Quae causa speciei intelligibilis producendae ?
2. Actus secundus vel ipsa intellectio.
   § 1. Fontes.
   § 2. De speciei intelligibilis cum intellectu possibili, actus secundi perficiendi causa, concursu juxta divum Thomam.
   § 3. De speciei intelligibilis cum intellectu possibili, actus secundi perficiendi causa, concursu juxta Duns Scotum.

3° De cognitione animae propriae suorumque habituum, seu quomodo anima semetipsam suosque habitus cognoscat . 119-130

1. Sancti Thomae doctrina.
2. Duns Scoti doctrina.
   § 1. Fontes.
   § 2. De variis generibus cognitionis animae humanae habituumque ejusdem, et speciatim quomodo anima se suosque habitus cognoscat intuitive.
   § 3. Duns Scoti, de cognitione intuitiva animae propriae suorumque habituum, doctrina unde sit orta ?

Conclusio 131-133

OPERA CITATA

Baumgartner M. Die Erkenntnislehre des Wilhelm von Auvergne. Beiträge zur Geschichte der Philosophie des Mittelalters, Münster 1893, Bd. II.

Braun R. dr. Die Erkenntnislehre Henrichs von Gent. Freiburg (Schweiz), 1916.

Daniels A. Quaestio über das menschliche Erkennen von Wilhelm von Ware. Festgabe für Clemens Baeumker. Münster 1913.

Denifle H. Meister Eckeharts lateinische Schriften. Arch. für Literatur und Kirchengeschichte des Mittelalters, Bd. II.

Déodat Marie, de Basly. Duns Scot et le Statut catholique de la pensée à l'Université de Paris. Havre 1909.

Endres J. Die Seelenlehre des Alexander von Hales. Philosophisches Jahrbuch der Görres-Gesellschaft. Fulda 1888, Bd. I.

Fischer J. Die Erkenntnislehre Anselms von Canterbury. Beiträge zur Geschichte der Philosophie des Mittelalters, Münster 1911, Bd. X.

Grabmann M. Die philosophische und theologische Erkenntnislehre des Kardinals Matthäus von Aquasparta. Theol. Studien der Leo-Gesellschaft, Wien 1906.

Hauréau B. Histoire de la philosophie scolastique. Paris 1880.

Krebs E. Studien über Meister Dietrich genannt von Freiburg. 1913.

Manser G. Johann von Rupella. Jahrb. für Philosophie und spekulative Theologie. Paderborn 1912, Bd. XXVI.

Mignes Parthenius. Zur Erhenntnislehre des Duns Scotus. Philosophisches Jahrbuch der Görres-Gesellschaft. Fulda 1918, Bd. 31.

Pluzanski E. Essai sur la philosophie de Duns Scot. Paris 1888.

Sassen Ferd. L. R. De theoria cognitionis Plotini cetero ejus systemati comparata. Sittardi 1916.

Schmid Aloys. Die Thomistische und Scotistische Gewissheitslehre. Dillingen 1859.

Seeberg R. Die Theologie des Johannes Duns Scotus. Leipzig 1900.

Stöckl A. Geschichte der Philosophie des Mittelalters. Mainz 1865.

Ueberweg-Baumgartner. Grundriß des Geschichte der Philosophie der patristischen und scholastischen Zeit. Berlin 1915.

Vacant, J. M. A. Etudes comparées sur la philosophie de S. Thomas d'Aquin et sur celle de Duns Scot. Paris-Lyon 1891.

Werner K. Die Scholastik des späteren Mittelalters. Wien 1881.

— Psychologie und Erkenntnislehre des Johannes Duns Scotus. Wien 1887.

Wulf M. de. Histoire de la philosophie médiévale. Louvain-Paris 1912.

— Histoire de la philosophie scolastique dans les Pays-Bas et Principauté de la Liège jusqu'à la Révolution française. Louvain-Paris 1895.

PRAEFATIO

Perfacile probatur aetas nostra minus quam divo Thomae Duns Scoto studere philosophanti, at longe minus cognitionis humanae arcana scrutanti, solventique problemata.

Rarorum auctorum Duns Scoti de cognitione humana doctrinam agressorum quidam, quia totam Magistri Oxoniensis philosophiam tractant, coacti doctrinam quoque de cognitione humana ejusdem tetigerunt, sed obiter tantum aliquot paginarum vel etiam dimidiae paginae spatio contenti, quales : Pluzanski [1], Seeberg [2], Werner [3], Stöckl [4], Ueberweg-Baumgartner [5], de Wulf [6], reliqui satis duxerunt fecisse, certa theoriae de cognitione humana scotisticae problemata si tetigissent, quales Vacant [7], Werner [8], Schmid [9] et Mignes [10]. At nullus, qui

[1] *Essai sur la philosophie de Duns Scot*, Paris, 1888, a pag. 41 ad pag. 91.

[2] *Die Theologie des Johannes Duns Scotus*, Leipzig, 1900, a pag. 96 ad pag. 109.

[3] *Die Scholastik des spätern Mittelalters*, Wien, 1881, I Band, a pag. 180 ad pag. 229.

[4] *Geschichte der Philosophie des Mittelalters*, Mainz, 1865, per 12 paginas.

[5] *Grundriss der Geschichte der Philosophie der patristischen und scholastischen Zeit*, Berlin, 1915, per dimidiam paginam.

[6] *Histoire de la philosophie médiévale*, Louvain-Paris, 1912, per dimidiam paginam.

[7] *Etudes comparées sur la philosophie de saint Thomas d'Aquin et sur celle de Duns Scot*, Paris-Lyon, 1891.

[8] *Psychologie und Erkenntnislehre des Johannes Duns Scotus*, Wien, 1887 (opus hoc nullatenus universitatem psychologiae doctrinaeque cognitionis exponit).

[9] *Die Thomistische und Scotistische Gewißheitslehre*, Dillingen, 1859.

[10] *Zur Erkenntnislehre des Duns Scotus, Philosophisches Jahrbuch der Görresgesellschaft*, Fulda, 1918, Bd. 31, a pag. 52 ad pag. 74.

totam Doctoris Subtilis de cognitione humana doctrinam penitus, atque ratione viaque discutere conaretur.

Parcissima haec tanti philosophi ingenio, scientia, subtilitate eminentis, haud tritis jam, sed privis perpetuo incedentis viis cultura, incuriae par, grandem in philosophiae historia lacunam hiscere fecit, sinitque patere. Hancce impleturus equidem, per R. P. Gallum Manser O. P., Magistrum meum, incitatus, thesim elucubravi titulatam : « Joannis Duns Scoti de cognitionis doctrina ».

Maxima pars laudatorum supra scriptorum circa Scoti philosophicas theologicasve doctrinas adversantur omnino antiquis. Reapse, dum hi, historia teste, in id unum incumbunt, ut probent Scotum tam in philosophia, quam in theologia ex diametro et animosissime repugnare Aquinati, recentes illi ambos, maxime in theoria cognitionis, parum discrepare persuadere nituntur [1], seducti proculdubio tessera logicae recentissimae applicatae, qua non tam formulae opponendae, quam potius ideae, quoad fieri potest, proximandae.

At quis sensatus admittet hinc Scotistas, inde Thomistas, duos velut exercitus, diu inter se bellasse vanarum formularum gratia tantum ? Quidquid id est, videntur mihi cum recentes, tum antiqui sententias exaggerasse suas, quod amborum

[1] Seeberg, Opus cit. : « Allein Duns, der dem (hl. Thomas) im allgemeinen zustimmt, nimmt an, daß der Intellekt auch das einzelne Ding erreicht », pag. 103, et « Es hat sich uns bestätigt, daß dieselbe (Erkenntnistheorie) im Ganzen die Linie der aristotelisch-thomistischen Lehre einhält », pag. 108 ; Pluzanski, Opus cit. : « Nous avons parcouru les différentes parties de la philosophie de Duns Scot. Résumons-nous en nous attachant surtout à trois points principaux qui caractérisent sa doctrine. Quant au premier (doctrine de la connaissance), il est d'accord en général avec saint Thomas d'Aquin », pag. 283 ; Vacant, Opus cit. : « La théorie de la connaissance qui a été adoptée par nos deux docteurs (saint Thomas d'Aquin et Duns Scot) est la théorie d'Aristote, qu'ils ont interprétée de la même manière, dans ses grandes lignes », pag. 33 ; Ueberweg-Baumgartner, Opus cit. : « In der Erkenntnislehre und Psychologie stimmt Duns Scotus mit Thomas vielfach überein », pag. 582 ; Similiter sentiunt : Stöckl, Werner et de Wulff in operibus citatis.

doctorum doctrinas materialiter potius quam formaliter contulerunt. Ego contra formaliter potius, quam materialiter conferendo, non tantum quid, sed praecipue cur sustinuerint ambo doctores indagabo. Ne tamen collatio ista doctrinae de cognitione humana scotisticae expositionem, theseos meae scopum principalem, obnubilet eam breviter perstringam, saepius, praesertim in prima parte, concordiam discordiamve Scotum inter et Aquinatem simpliciter indicabo.

Ambas de cognitione doctrinas collaturo formaliter, mihi incumbet negotium monstrandi quantum in utrumque doctorem influxerint philosophi graeci.

XIII^mo reparatae salutis atque divi Thomae ejusdemque aemuli Duns Scoti saeculo, bina quodammodo philosophica castra militabant : hinc Aristotelis vexillum duce Thomae sequentium, inde Platonis vel nullo interprete vel, quod frequentius, per Plotinum, magis autem per Augustinum intellecti, inter quos in multis quaestionibus Scotus.

Mea igitur thesi uter philosophus quandoque in Magistrum Oxoniensem influxerit cognitionis arcana scrutantem monstrabo, adeoque in historia philosophiae Aquinatis aemulus quem occupet locum.

Thesim meam bipartio, ut, quae Scotus docet de cognitione humana, exponam; in priore parte de sensitiva, in altera de intellectuali.

Superest, ut fatear haud valuisse me opus perquam arduum exegisse, nisi Magister meus R. P. G. Manser benevolentia sua me iuvisset. Opus perquam arduum, inquam, propter innumeros, quibus Doctor Subtilis horret obicibus, quosque tum styli obscuritate, tum nunc disiecta nunc confusa materie objicit continuo. Quicunque vel unam quaestionem legerunt Scoti, norunt hoc et quaeruntur.

INTRODUCTIO

Theses, quibus, ceu fundamentis, de cognitione doctrinam superstruit suam Duns Scotus, hae sunt :

Thesis 1. Homini ideae innatae sunt nullae

Haud desunt, historia teste, philosophi, qui opinentur animum humanum ideas non ex ambientium rerum universitate, sed araneae instar veluti telam extrahere ex sese innatas. Num cunctas ? Quantitate dividuntur. Dum enim Plato, Cartesius, Leibnitz, Wolff omnes innatas volunt, singulas tantum certasque alii : atque Rosmini ideam entis possibilis ; Staudenmaier cum Thomassino ideam Dei ; Kant, Schopenhauer cum asseclis non solum ideas, verum etiam prima principia.

Sed Scotus noster, licet hinc quidem Platonem gustatum redolens, inde Kantio in quibusdam praeludens, idearum innatarum hostis habendus est, quod Pluzanski [1], Vacant [2], Werner [3],

[1] « On pourrait plutôt dire que la théodicée de ces docteurs (S. Thomas et Duns Scot) dépend de leur psychologie. C'est parce que dans la théorie de la connaissance ils n'admettent pas d'idées innées dans l'âme, etc... » Pluzanski E., *Essai sur la philosophie de Duns Scot*, Paris 1888, page 40.

[2] « Scot ne se place point parmi les partisans des idées innées ; il ne pensait point, comme eux, que le monde extérieur ne fait qu'éveiller notre attention sur les concepts que nous portons en nous. » Vacant J. M. A., *Etudes comparées sur la philosophie de S. Thomas d'Aquin et sur celle de Duns Scot*, Paris-Lyon 1891, p. 98.

[3] « Duns Scotus geht mit allen scholastischen Peripatetikern von dem Satze aus, daß die menschliche Seele ursprünglich sich wie eine Tabula rasa verhalte, und sonach ihren gesammten Erkenntnisinhalt von Außen in sich hineinnehme. » Werner K., *Die Scholastik des spätern Mittelalters*, Wien 1881, Band I, Seite 180.

Seeberg [1] et Ueberweg-Baumgartner [2] unanimiter declarant, nosque eandem persuasionem duobus philosophi operum locis hausimus, nempe : Quaestionum subtilissimarum : 1. libro I, q. 4 et 2. libro II, q. 1. Priori loco tractat ex professo necessitatem experientiae ad scientiam in genere acquirendam, altero vero eandem solis primis principiis cognoscendis. Ambo mutuo se complent.

Ideas innatas nequaquam existere, probat Scotus tam oppugnando, quam asserendo.

a) *Oppugnando* quidem sic, ut rationes Platonis ad innatismum probandum plurimis argumentis rejiciat.

1. Famosum Platonis argumentum de puero scite interrogato circa res nondum sibi notas at recte respondente, interpretatur Scotus forma syllogismi perfecti, quae tanta est, ut homini, sana mente gaudenti, naturaliter innotescat. Puer itaque, aptis interrogationibus ductus, poterit, haud difficulter, sibi nondum nota detegere responsis, quae ut idearum innatarum signa nullomodo accipienda erunt, siquidem ubi alia quam syllogismi perfecti forma aut etiam de rebus mere sensibilibus interrogatus, recta responsa jam non inveniet [3].

[1] « Alle wirkliche Erkenntnis trägt also, streng genommen, analytischen Charakter. Aprioristische synthetische Urteile gibt es nicht. » Seeberg R., *Die Theologie des Johannes Duns Scotus*, Leipzig 1900, p. 99. « Mit großer Energie wird (bei Duns Scotus) ein Empirismus des Erkennens verfochten... Neben den Empirismus tritt der Subjektivismus. Das Erkennen ist eine That des Menschen... Nicht im Sinne aprioristischer Spekulation ist der Subjektivismus hier zu verstehen, sondern als geistige Aneigung des objektiv Gegebenen. » *Ibidem*, p. 108.

[2] « Scotus bekämpft... die Annahme von angeborenen Erkenntnissen. » Ueberweg-Baumgartner M., *Geschichte der Philosophie*, Berlin 1915, Bd. II, S. 582.

[3] « ... Plato docuit puerum. Nihil potest docens facere quoad assensum praebendum complexis, nisi debito ordine proponere illa principia nota discipulo, et alia sequentia ex ipsis in illo ordine quo sequuntur, et ille sic propositis, propria virtute intellectus acquiescit, quia syllogismus perfectus nullius eget... Si puer ideo recte respondet de conclusione, quia prius scivit... quod falsum est, nunquam enim recte responderet nisi ordinate interrogatus, ubi principia statim videret et connexionem ordinate propositorum, et sic demonstrative docetur. Item, quare interrogatus de sensibilibus vel de aliis, non demonstrative se habentibus, non recte respondebit. » Quaestionum subtilissimarum, liber I, quaestio 4, nº 22 et 9.

2. Quisque sciens aliquid, sibi conscius est se scire, cujus scientiae conscius haud esset, nisi didicisset [1].

3. Experientia quotidiana probat non perfici superiora nisi inferioribus ejusdem ordinis jam perfectis, adeoque evolvitur in homine perficiturque intellectus tanto, quanto sensus evoluti jam perfectique sunt, quod ideas innatas negat [2].

4. Adversatur innatismo quae inter rationabilia regnat harmonia : ens sciens per essentiam inter atque per ideas innatas illud, angelum nimirum, tertium quod per experientiam sciat [3].

5. Nunquam statuenda pluralitas sine necessitate. Atqui nihil apparet in homine, quo scientiam innatam admittere cogamur. Ergo respuenda [4].

b) *Affirmando* Duns Scotus probat ideas innatas non existere :

1. Per sententiam aristotelicam animum humanum naturaliter « tabulam nudam » esse, cui ab ambiente universo cognitiones extrinsecus inscribantur [5].

2. Hanc sententiam certissimam : quamcunque cognitionem per intellectum necessario stare super cognitione sensitiva, his duabus propositionibus proclamando : « Nullo actu intellectus cognoscitur aliquid a nobis, nisi praecesserit cognitio sensibilium in sensu » [6] et « Dicendum quod (intellectus) non habet aliquam cognitionem naturalem, secundum naturam suam, neque simplicium, neque complexorum quia omnis nostra cognitio ortum habet

[1] « Inconveniens est cognitiones certissimas demonstrantem latere, sed antequam addiscamus, non percipimus eas in nobis ; ergo non insunt. » *Ibid.*, nº 9.

[2] « Natura videtur primo secundum originem intendere perfectionem potentiarum inferiorum quam superiorum, patet de intellectu et voluntate ; ergo similiter est de sensu respectu intellectus, aliter non videtur necessaria coniunctio animae ad corpus, nec sensus nobis necessarii. » *Ibid.*, nº 10.

[3] « Est aliquod sciens quod est sua scientia, aliquod sciens quod non est sua scientia, sed sua scientia est sibi innata ; ergo rationabile et possibile est ponere tertium gradum, aliquod scilicet sciens quod... scientiam quaerat. » *Ibidem.*

[4] « Numquam est ponenda pluralitas sine necessitate... sed nihil apparens in homine concludit necessario scientiam sibi esse innatam ; ergo non est hoc ponendum. » *Ibid.*

[5] *Quaest. Subtil.*, l. II, q. 1, nº 1.

[6] *Ibid.*, l. I, q. 4, nº 4.

ex sensu [1] ». Cui legi ipsamet prima parere principia, quod terminos suos mundo sensibili debeant. Notandum hic prima principia Scoto « naturaliter nota » esse, quod ipse Thomae consonans interpretatur per habitum intellectui humano naturaliter inhaerentem, ut terminis principiorum semel abstractis atque pro quoque casu compositis intellectus absque mora veritatem perspicere, perspectaeque assentiri valeat [2].

Universa haec, tam Platoni adversa, quam Aristoteli consona, Scoti argumenta probant auctorem suum ideas innatas rejecisse, in quo Sancto Thomae consentit omnino.

Altera, in qua philosophus noster cum Thoma concordat, quaestio illa de illuminatione divina est.

Thesis II. Homini cognitioni acquirendae suae illuminatio divinitus emissa minime necessaria

Celebris de illuminatione divina theoria perquam affinis illi recentiorum temporum ontologismo dictae. Vult autem ontologismus Malebranche auctore ac duce, ut homo nequeat vere cognoscere quidquam, quin simul ipsum cognoscat videatque Deum, quod hic et principium et medium sit cuicunque cognitioni humanae.

Illuminationismus autem docet ipsum Deum vel regulas divinas principium cognitionis nostrae mediumque esse ita, ut non percipiatur Ipse. Quomodo autem hoc fiat, theoriae sequaces

[1] *Quaest. Subtil.*, l. II, q. 1, nº 2.

[2] « Primo enim movetur sensus ab aliquo simplici, non complexo, et a sensu moto, movetur intellectus, et intelligit simplicia, quod est primus actus intellectus ; deinde post apprehensionem simplicium, sequitur alius actus, qui est componere simplicia ad invicem ; post illam autem compositionem, habet intellectus ex lumine naturali, quod assentiat illi veritati complexorum, si illud complexum sit principium primum. Ad Commentatorem dicendum, quod pro tanto dicuntur nobis naturaliter nota sive cognita, quia praescita compositione simplicium terminorum, statim ex lumine naturali, intellectus acquiescit vel adhaeret illi veritati ; tamen cognitio terminorum acquiritur ex sensibilibus, et iste intellectus dicitur habitus principiorum. » *Ibid.*, l. II, q. 1, nº 2.

hujus, per istam explicant Plotini comparationem : ut solis lumine illustratas res intuemur nec tamen necessario ipsum solem, ita neque spiritum divinum, per quem, ut cognoscamus, illustramur, percipimus.

Cognitione sive naturali sive supernaturali humanus illuminatur, per spiritum divinum, animus lumine per nullum medium transeunte, absque mora penetrante, ejusdemque intima irradiante.

Illuminatio haec divina vere objectiva dicenda est, quandoquidem supremum humanae certitudinis criterium praestat quatenus divine illuminata humana mens per ipsum spiritum divinum perspicit primas ideas primaque ex hisce manantia principia cum Dei primis ideis, necnon legibus consonare omnino. Igitur cum quaecunque hominis cognitio aliquod primorum involvat principiorum, illuminationem divinam pigneratur humana cognitio certitudinis indubiae fontem.

Theoriam hanc coluerunt philosophi inde a Plotino [1] usque in saeculum XIV universi platonizantes, praecipue vero Augustinus [2], Gulielmus Arvernensis [3], Anselmus Cantuariensis [4], Alexander Halensis [5], Johannes de Rupella [6], Bonaventura [7], Matthaeus ab Aquasparta [8], Johannes Peckham [9], Rogerus Anglicus [10], Hen-

[1] Sassen Ferd., *De theoria cognitionis Plotini cetero ejus systemati comparata*, Sittardi 1916, p. 165-171.

[2] Ueberweg-Baumgartner M., Opus citatum, p. 157.

[3] Baumgartner M., *Die Erkenntnislehre von Wilhelm von Auvergne*, Beiträge zur Geschichte der Philosophie des Mittelalters, Münster 1893, Bd. II, Heft 1, p. 36.

[4] Fischer J., *Die Erkenntnislehre Anselmus von Canterbury*, *Ibidem*, 1911, Bd. X, Heft 3, p. 47.

[5] Enders J., *Die Seelenlehre des Alexander von Hales*, Phil. Jahrbuch der Görresgesellschaft, Fulda, Bd. I, p. 272.

[6] Manser G., *M. Johann von Rupella*, Jahrbuch für Philosophie und spekulative Theologie, Paderborn 1912, Bd. XXVI, p. 311, 318, 322.

[7] Ueberweg-Baumgartner M., Opus cit., p. 443-446.

[8] Grabmann M., *Die philosophische und theologische Erkenntnislehre des Kardinals Matthaeus von Aquasparta*, Theolog. Studien der Leo-Gesellschaft, Wien 1906, p. 46.

[9] Ueberweg-Baumgartner, Opus cit., p. 452.

[10] *Ibid.*, p. 455.

ricus Gandavensis [1], atque inter mysticos Eckehardus [2] cum Diterico Friburgensi [3]. At Scotus, quamquam platonizantium saeculo XIII unus, tantum aberat ab illuminationismo, ut eum rejecerit, quod critici fatentur omnes. Excipe Hauréau [4] qui ut recte notavit Pluzanski [5] non tam ipsi Scoto, quam potius ejusdem interpreti Petro de Mayronis debet opinionem suam.

Opinionem de illuminatione suam declarat Scotus in opere Oxoniensi, l. I, d. 3, q. 4, ubi aperte quaerit : « Utrum aliqua veritas certa et sincera cognosci possit naturaliter ab intellectu viatoris absque speciali illustratione lucis aeternae ? » Responsurus autem duabus processit viis : *a*) negationis una, impugnando nempe Henricum Gandavensem, platonizantium saeculo XIII philosophorum eum, qui illuminationis necessitatem asseruit maxime ; *b*) affirmationis altera, dum edisserit sensum suum de celebri atque sua aetate usque discussa quaestione : Verene veritates in ipsa divina veritate seu in regulis divinis conspiciamus ? existatne adeoque lumen tale divinum, cujus ope veritates intueamur cognoscamusque ?

a) *Negationis via.* Juxta Scotum Henricus Gandavensis illuminationem elementis concepit stantem hisce, nunc per eundem Doctorem Oxoniensem dissolvendis : Veritas, immutabile quoddam, nisi per immutabile creari in nobis nequit. Jamvero immutabilis causa praeter divinitus illuminationem non exstat, quod : 1. Sensibilia objecta, unde veritatem haurimus nostram, mutabilia sint cuncta ; 2. Anima humana cognoscens, dum patitur errorem, etiam mutetur ; 3. Species quoque, per quas veritatem cognoscimus, dum jam se, jam objectum — ut in somno — repraesentant,

[1] DE WULF M., *Histoire de la philosophie scolastique dans les Pays-Bas*, etc., Louvain 1895, p. 178, Anm. 3, p. 179, An. 1. — BRAUN RAPH., *Die Erkenntnislehre Heinrichs von Gent*, Freiburg 1916.

[2] DENIFLE K., *Meister Eckehards lateinische Schriften*, in Arch. für Literatur- und Kirchengeschichte des Mittelalters, Bd. II, p. 519.

[3] KREBS E., *Studien über Meister Dietrich genannt von Freiburg*, Freiburg 1903, p. 51.

[4] HAURÉAU B., *Histoire de la philosophie scolastique*, 2 p., t. II, p. 178, Paris 1880.

[5] PLUZANSKY, *Opus cit.*, p. 86.

etiam mutentur. Ergo, juxta Henricum, aut veritati valedicendum, aut admittenda illuminatio [1].

Refellit hanc Henrici Gandavensis doctrinam Scotus primo tribus argumentis ad absurdum : 1. Si objectum sensibile perpetuo mutaretur, ipsum veritatis de se cognoscendae gratia, qua mutabile cognosci deberet. Atqui Henricus divinitus illuminationem requirit objecto mutabili, qua immutabili cognoscendo. Ergo inutiliter eam requirit ; 2. Si propter animae mutabilitatem certitudinem (quippe fixam) nancisci nequiremus, vel ipsa cum illuminatione, quippe quae animae adeoque actuum cognoscitivorum, semper subjectivorum, naturam mutare haud posset, nequiremus. Ergo inutiliter eam requirit ; 3. Tandem, si propter speciei nunc objectum, nunc se objicientis versationem cognoscere nequiremus verum, hoc ne per illuminatione lapsam speciem quidem cognosceremus. Ergo inutiliter eam requirit.

Caeterum, praetendendo perfectam rerum notitiam *concursu duarum gigni specierum : speciei ab objecto, proinde versatilis adeoque incertae, cum specie ab illuminatione divinitus, proinde fixae adeoque certae, logicam offendit Henricus. Nunquam enim certum ex incerto, sicut neque ex duabus praemissis, quarum alterutra contingens tantum fuerit, conclusionis instar propositio necessaria, poterit trahi [2].

Explet hanc argumentationem suam Scotus his, ad singula

[1] « Quod per tale exemplar acquisitum in nobis (speciem) habeatur omnino certa et infallibilis notitia veritatis de re, hoc dicitur esse omnino impossibile, et probatur triplici ratione... Prima ratio est talis, objectum illud a quo abstrahitur exemplar est mutabile ; ergo non potest esse causa alicujus immutabilis ; sed certa notitia alicujus veritatis de aliquo, habetur de eo sub ratione immutabilis, ergo... Secunda ratio talis est, anima de se mutabilis est et passiva erroris... Tertia ratio, notitiam veritatis certam et infallibilem nullus habet, nisi habeat unde possit discernere verum a verisimili, quia si non potest discernere verum a falso vel verisimili, potest dubitare se falli ; sed per exemplar praedictum creatum non potest discernere verum a verissimili, ergo etc. Probatio minoris, talis species potest repraesentare se tanquam se, vel aliomodo se tanquam objectum sicut est in somniis. » 1. *Oxon.*, d. 3, q. 4, nº 2 et 3.

[2] « Istae rationes (praedictae) videntur concludere impossibilitatem certae cognitionis naturalis, quia si objectum continue mutatur, non potest haberi aliqua certitudo de ipso sub ratione immutabilis, imo nec in quocumque lumine posset certitudo haberi, quin certitudo non est, quando

Henrici argumenta, animadversionibus : contra primum de continua sensibilium objectorum mutabilitate : Opinio haec est Heracliti necnon discipuli sui Cratyli « qui, ait, nolebant loqui, sed movere digitum » [1]. Sed a perpetuo objectorum sensibilium motu contra certitudinem scientiae nostrae concludere nefas, nam hoc saltem certum omnino esset, ut recte observavit Stagyrites, omnia moveri continuo [2]. Contra secundum de mutabilitate animae cognoscentis animadvertit : hoc procul dubio verum esse animam, licet in multis falli possit, in propositionibus per se notis deficere nequire [3]. Denique contra tertium de versatilitate speciei advertit : ab Henrico admissas species imaginesve tantum sensibiles quidem labefactare reapse certitudinem scientiae nostrae, intelligibiles contra nequaquam. Solum enim, de vera, species sensibilis potest se repraesentare in somniis tamquam objectum, nullo autem modo species intelligibilis quae in somniis non datur [4].

Ergô, secundum Duns Scotum, specialis quaedam divinitus

objectum alio modo cognoscitur, quam se habet ; ergo non est certitudo cognoscendo mutabile ut immutabile... Similiter, si propter mutabilitatem exemplaris, quod est in anima nostra, non posset esse certitudo, cum quidquid ponatur in anima subjective sit mutabile, etiam ipse actus intelligendi erit mutabilis, et ita sequitur quod per nihil in anima rectificatur anima, ne erret... Patet de tertia ratione, quia si species illa abstracta a re concurrat ad omnem cognitionem, et non potest iudicari, quando illa repraesentat se tanquam se, et quando se tanquam objectum ; ergo quantumcumque aliud concurrat, non potest haberi certitudo per quam decernatur verum a verisimili... Similiter, secundum opinionem istam, species causata inhaerens concurrit cum specie illabente, sed quando aliquid concurrit quod repugnat certitudini, non potest certitudo haberi ; sicut enim ex altera de necessario et altera de contingenti, non sequitur conclusio nisi de contingenti, ita ex certo et incerto concurrentibus ad aliquam cognitionem, non sequitur conclusio certa. » 1. *Oxon.*, d. 3, q. 4, nº 5.

[1] 1. Oxon., d. 3, q. 4, nº 13.

[2] « Et etiam consequentia non valet, dato quod antecedens de omnium rerum mutabilitate esset verum, quia adhuc, secundum Aristotelem, posset haberi certa cognitio de hoc quod omnia continue moventur. » *Ibid.*

[3] « (Anima) non est mutabilis... nisi circa illa complexa, quae non habent evidentiam ex terminis. Circa illa vero, quae sunt ex terminis evidentia, mutari non potest. » 1. *Oxon.*, d. 3, q. 4, nº 14.

[4] « Ad tertiam, si aliquam apparentiam haberet, magis concluderet contra opinionem illam, quae negat speciem intelligibilem, quia illa species, quae potest repraesentare se tamquam objectum in somniis, est phantasma,

illuminatio, quam Henricus Gandavensis, certitudini cognitionis nostrae stabiliendae, postulavit asseruitque — ceu omnino superflua — rejicienda omnino.

b) Assertionis via. Hac incessit Scotus Augustinum, ut ab illuminationismi labe vindicaret, interpretando. Praeclarus enim Ecclesiae Pater in scriptis suis duas has ponit theses : Cognoscimus veritates : I. In Regulis divinis vel in essentia divina ; II. Lumine divinitus emisso illuminati.

Priorem thesin, quae objectivitatem cognitionis nostrae spectat, quaternis interpretatur sensibus Scotus [1]. Igitur, cognoscimus veritates in Regulis divinis vel in essentia divina : 1. Quatenus Deus ab aeterno creaturis, proximis cognitionis nostrae objectis, dedit esse intelligibile, in quo relucent veritates necessariae ita, ut creaturas cognoscendo hasce ipsas cognoscamus veritates [2] ; 2. Quatenus intelligentia divina est causa exemplaris cujuscumque intelligibilis, dum latentes in se gestat quidditates — typos rerum libro inscriptos. Dum ergo varias rerum legumque relationes cognoscimus, in regulis divinis vel in essentia divina cognoscimus [3] ; 3. Quatenus intellectus divinus causa est in quocumque objecto non solius esse intelligibilis, verum etiam virtutum, quibus facultates hominis cognitivas movet objectum. Ergo cognoscendo res cognoscimus eas in essentia divina, quae eas cognoscibiles nobis creavit [4] ; 4. Quatenus Deus principium primum, supre-

non species intelligibilis... Sed ponendo speciem intelligibilem in intellectu, non valet ratio, quia intellectus, non potest uti illa ut per se objecto, quia non contingit uti illa in dormiendo. » *Ibid.*

[1] « Propter verba Augustini oportet concedere quod veritates infallibiles videntur in regulis aeternis... et hoc quadrupliciter... » *Ibid.*, nº 18.

[2] « ... Omnia intelligibilia actu intellectus divini habent esse intelligibile, et in eis omnes veritates de se relucent, ita quod intellectus intelligens ea, et virtute eorum intelligens necessarias veritates de eis, videt in eis sicut in objectis, istas veritates necessarias. » *Ibid.*

[3] « Secundus modus patet similiter, quia intellectus divinus continet istas veritates quasi liber... et licet ille liber non videatur, videntur tamen illae quidditates vel veritates, quae sunt scriptae in illo libro, et eatenus posset dici intellectus noster videre veritates in luce aeterna, hoc est, in illo libro, sicut in continente objectum. » 1. *Oxon.*, d. 3, q. 4, nº 18.

[4] « ... quantum ad tertium modum, videmus in luce aeterna sicut in causa proxima objecti in se, nam intellectus divinus producit ista actu

musque finis omnium creaturarum est in ordine tam practico, quam speculativo. Omnes itaque veritates cognitionis nostrae, videmus in spiritu Dei, tamquam in objecto remoto cognito [1].

Alteram thesim, quae subjectivitatem cognitionis nostrae spectat, interpretatur Scotus hoc sensu, quod intellectus noster agens participet lucem increatam. Per intellectum ergo agentem cognoscendo per ipsam divinam lucem cognoscimus [2].

Videmus ergo Scotum in illuminationis theoria consonare omnino Aristotelicis, par in hoc Ricardo de Mediavilla [3] sodali itemque Gulielmo Guarrae [4] magistro suo.

Erravit autem eo, quod Augustini auctoritate usus est, persuasus enim suo sensu illuminationem professum esse, ac si ignorasset episcopum Hipponensem Joannis textu « lux illuminat omnem hominem » tamquam argumento utitur probatum : quam necessaria cognitioni humanae iam in naturali ordine sit illuminatio divinitus emissa [5].

Thesis III. Homo indiget duplici cognitione : tum sensitiva tum intellectuali

Quam thesim sic probat Scotus.

a) Intellectuali cognitione indiget homo :

1. Quia voluntas ejus ad bonum ordinatur infinitum, quod

suo in esse intelligibili, et actu suo dat huic objecto esse tale et illi tale, et per consequens dat eis talem rationem objecti, per quam rationem primo movent intellectum ad cognitionem talem certam. » *Ibid.*, nº 19.

[1] « Ultimo modo potest concedi, quod cognoscuntur veritates sincerae in luce aeterna, sicut in objecto remoto cognito, quia lux increata est primum principium entium speculabilium et ultimus finis rerum practicarum, et ideo ab ipsa sumuntur principia tam speculabilia quam practica. » *Ibid.*, nº 23.

[2] « ... Virtute intellectus agentis, qui est participatio lucis increatae, illustrantis super phatasmata, cognoscitur quidditas rei, et ex hoc habetur sinceritas vera... et secundum intentionem Augustini non plus concludit. » *Ibid.*, nº 24 ; item in 1. Oxon., d. 3, q. 4, nº 17.

[3] Ueberweg-Baumgartner, Opus cit., p. 457.

[4] Daniels A., *Quaestio über das menschliche Erkennen von Wilhelm von Ware*, Festgabe für Clemens Baeumker, Münster 1913, p. 311-316.

[5] Augustinus, *Epist. 120, ad Hon.*, cap. 4 ; *De Civit. Dei*, X, 3.

ejusdem boni cognitionem necessario supponit aliqualem. Jamvero bonum infinitum substantia spiritualis est. Cognitio igitur ejusdem non sensitiva, sed spiritualis tantum esse potest [1].

2. Ob nobilitatem suam, quippe qui sensitivas inter substantias verticem occupat, quem cognitione praeter sensitivam superiore orbus occupare nequiret homo [2].

3. Propter formam specificam suam, quae ipsa est anima : haecce, cum det homini existentiam, cognitionem quoque privam det oportet [3].

4. Propter naturam suam, cujus gratia homo velut copula ima summis jungit, spiritus corporibus utrorumque corporum sensibus, intellectu spiritum particeps, adeoque utrorumque cognitione frui necesse est eum [4].

b) Sensitivae cognitionis necessitatem Scotus geminis probat argumentis :

1. Analogis illorum, quibus intellectualis cognitionis necessitatem probavit, maxime quod homo spiritualia corporalibus copulet.

2. Specialibus. Homo « quoad esse » substantia sensitiva, videlicet animal, animali congruam cognitionem possideat oportet : sensuum activitate pariendam [5].

[1] « Appetitus humanus non quietatur, nisi per adeptionem boni infiniti,... sed nihil possumus velle... nisi cognitum ; non potest autem cognosci sensu, cum sit substantia spiritualis ; ergo intellectu. » Quaestiones disputatae de *Rerum Principio*, q. 13, art. 1, sect. 1, nº 2.

[2] « Homo est nobilius ens omni substantia pure sensibili... ergo habet nobiliorem potentiam, quam sit sensitiva ; sed intellectiva immediate fundatur supra sensitivam ; ergo habet intellectivam. » *Ibid.*

[3] « Intellectiva anima in quantum intellectiva, est forma hominis... Omnis autem forma communicat actum suum materiae vel saltem composito... ergo necessario quod est actus intellectivae toti coniuncto communicabitur. » *Ibid.*

[4] « Homo cum sit fibula omnium naturalium, coniungit superiora inferioribus, et per haec medium est inter substantias pure naturales et pure spirituales, continens in unitate essentiae corpus perfectum naturaliter et animam supernaturaliter... sed ultima notitia eorum quae producuntur a natura, est sensitiva cognitio, supremorum est intellectiva ; ergo istae duae sunt in homine. »

[5] « Homo in quantum homo, cadit in aliud genus a substantiis spiritualibus pure... ita per hoc quod cadit ab illis, necessario participat inferius genus cognitionis ; hoc autem est sensitiva cognitio. » *Ibid.*, sect. 2, nº 3.

Thesis IV.

Intellectuali sensitivam cognitionem subordinari

Arguit ita : « Omnis multitudo, ait Scotus, fundata in uno, in quantum unum, habet ordinem secundum rationem prioris et posterioris inter se » [1]. Igitur, si utramque in homine cognitionem consideremus, conspicimus intellectuali sensitivam subordinari, quod quidem explicat Scotus ordine hinc ontologico, inde genetico.

Ontologico quidem, quia sicut se habet corpus ad animam inferius utpote ad superius, ita cognitio corporibus facultatibus ad illam animi partam [2].

Genetice vero, quandoquidem cognitionem capessendam a sensibus orditur homo, indeque velut ex fonte haurit intellectualem ; item super sensitiva cognitione, velut super fundamento, intellectualis cognitionis construit molem. Hic philosophus noster Aristotelem appellat [3].

Patet Duns Scotum etiam ultimis duabus thesibus cum S. Thoma concordare.

[1] *Ibid.*, sect. 4, nº 5.

[2] « In homine sunt duae naturae, scilicet corporalis et spiritualis, ad quam corporalis, sive corpus ordinatur, sicut imperfectum ad perfectum ; ergo pari ratione cum sint duae cognitiones in eo, una scilicet sensitiva quae est imperfecta, et tenens se ex parte corporis, ordinabitur ad eam, quae se tenet ex parte animae tamquam ad perfectum. » *Ibid.*

[3] « Naturali ordine procedimus a sensitiva (cognitione) ad intellectivam. » *Ibid.* « Omnis nostra cognitio oritur a sensu, 1 et 2 Poster, primo Metaphys. in proem., et 2 Physic., text. 6, caecus enim natus non potest habere perfectam notitiam de coloribus. » 2. *Oxon.*, d. 11, q. 1, nº 3.

A. PARS PRIMA

De cognitione sensitiva

Crebro Seeberg [1] empiriam notavit intentam Duns Scoti. Tamen inter magnos Scholasticos pauci tam parce cognitionem sensitivam tractarunt ut noster Scotus, qui ne Bonaventuram quidem hoc in studio aequavit dum superat, ubi de cognitione agit intellectuali. Nos certe de cognitione sensitiva doctrinam ejus mancam declararemus, nisi secus ratus ipse quasdam partes, quibus instabant alii, neglexisset.

Parcitatem hanc explicamus eo, quod Duns Scotus Augustinum sequitur, apud quem parem circa eandem materiam parcitatem propter Plotini et neo-platonismi culturam reperimus. At caeteri Scholastici Platonici saeculi XIII haud ita, nam Bonaventura cum aliis magis aemulantur Arabos qui cognitionem sensitivam, praesertim sensus internos diligenter necnon feliciter excoluerunt ; eminuit autem Avicenna.

Cognitionem per sensus colit parce Duns Scotus quod, unde thesim hausimus nostram, apparet in fontibus, nimirum in opere : « De rerum principio », quod probabilius authenticum ; item in « Quaestionibus De Anima » quarum X primae de cognitione sensitiva --- sed opus imperfectum mansit. Reliqua dispersit auctor in « Oxoniensi » tum in « Quaestionibus Subtilissimis ».

Opinatur Seeberg de Duns Scoti empirismo recte, quamquam ille alius Doctori Subtili privus utpote magis intellectualis (qualem

[1] « Zunächst ist zu bemerken, daß ein starker empirischer Zug seine (Duns Scoti) Theorie leitet. » SEEBERG R., *Opus cit.*, p. 96. « Mit großer Energie wird (per Duns Scotum) ein Empirismus des Erkennens verfochten. » *Ibid.*, p. 108.

postea rursum in Anglia potissimum philosophi quidam professi sunt) cujus vi superior adeoque spiritualis cognitio in sensus labitur intuitione directa. Enimvero docet Duns Scotus intellectum sensuum ditionem peragrare lustrando, imo contemplari per sensus mundum sensualem, ita, ut quoad singularium cognitionem multas agat partes, quas eidem attribuere Aristotelici non potuerunt. Quapropter multa sensitivae cognitionis problemata per Aristotelicos objecta exciderunt Duns Scoto.

I. POTENTIAE SENSITIVAE

Sensitivae cognitiones quaecunque demum exstant, in homine vivant oportet [1].

Huic thesi probandae Duns Scotus varia promit argumenta : *a*) Homo, quum animal sit perfectissimum, sensitivas facultates cunctas tam internas quam externas possidere debet [2] ; *b*) Valet principium : quodcunque superius inferiora sui per universos gradus continere necesse est. Pariter ergo homo universos in regno animali facultatum sensitivarum gradus possidere debet [3]. Atqui in hac facultatum sensitivarum scala sensus externi stant imi, nam sensus externus, quem Duns Scotus « particularem » vocitat, componitur maxime, adeoque abstrahit minime [4].

[1] « In homine est omne genus cognitionis sensitivae. » *Rer. Princ.*, q. 13, art. 1, sect. 3, nº 4.

[2] « Homo est perfectissimum super omnia alia naturalia, quia finis eorum, et continet animal ; ergo est perfectissimum animal : sed, ut dicitur 3 *De Anima*, text. comm. 59 et seq., perfectum animal continet omnes sensus ; ergo, etc. » *Ibid.*

[3] « Posterius praesupponit suum prius, et illud adhuc suum prius et sic usque ad ultimum... sed cognitio sensitiva est in homine suprema respectu illius cognitionis, quae in processu totius naturae est posterior et ultima... ergo in homine est omne genus cognitionis sensitivae. » *Ibid.*

[4] « Potentia, quae tale « esse » (actuale esse) apprehendit, et nullum aliud, vel rem secundum alium modum, erit inter omnes potentias cognoscitivas infima, et minoris abstractionis : talis est sensus particularis. » *Rer. Princ.*, q. 13, art. 1, sect. 5, nº 6.

Si considerentur abstrahendi conditiones (abstractio in sensu improprio) nempe : *a*) organum actuale proprium ; *b*) objecti capessendi per spatium temporis necessarium praesentia ; *c*) certa distantia ; *d*) certa, qua sensum afficiat objectum, vis, *e*) medium actioni aptum favensque — has quinque conditiones interni sensus ad actionem non exigunt, adeoque non praecedunt, sed sequuntur externos [1]. Ideoque, secundum Duns Scotum, sensus interni « sunt superiores ».

Sensuum igitur in externos internosque divisio etiam ipsum Duns Scotum habet auctorem.

[1] « Potentia quanto superior, tanto paucioribus indiget, et minus composita est, et magis abstracta ; ergo cum opposita istorum sint in potentia sensus particularis, indiget enim organo actuali, praesentia objecti, certa distantia, et certa excellentia, et dispositione, et determinatione medii, et sic est compositior, et quasi nihil abstracta, erit necessario infimior omnibus ; sensus enim communis, nec phantasia, ut patet, non tot indigent. » *Ibid.*

CAPUT I

De sensibus externis

Divertuntur potentiae secundum diversas, quas organis objecta sensitivis imprimunt, mutationes [1]. Sententia essentialiter par illi Sancti Thomae Aquinatis de diversitate quinque sensuum loquentis [2].

Duplex immutatio : naturalis et animalis. Naturalis illa, qua patienti recipitur objecti forma physice, e. g. calor in manu calescenti.

Animalis vero illa, qua patienti recipitur absque materia objecti forma, secundum id dumtaxat quod repraesentat objectum, e. g. color in oculo [3].

His immutationibus innixus conatur Duns Scotus quinque sensuum differentiam, gradus, objecta praesentare.

Sensuum externorum facultatumque sensitivarum tractabuntur :

§ 1. Numerus quinarius et ordo.

§ 2. Objecta.

§ 1. Sensuum externorum numerus quinarius et ordo.

Sunt autem ; visus, auditus, olfactus, gustus et tactus.

Visus, qui unus immutationem intentionalem tantummodo exhibet, physicam supponens nullam — est supremus.

Auditus jam physicam naturalemve immutationem patitur

[1] « Ex diversitate igitur immutationis organi ab objecto et conformationis sumatur sufficientia sensuum. » *De Anima*, q. 6, nº 3.

[2] *Sum. Theol.*, p. 1, q. 78, art. 3 ; *De Veritate*, q. 25, art. 3.

[3] (Immutatio) « naturalis est secundum quam vel per quam forma recipitur in patiente secundum illud esse reale, et secundum dispositionem materiae consimilem illi, quae est in agente ; animalis autem est secundum quam recipitur secundum esse intentionale species objecti agentis in potentiam animalem ». *De Anima*, q. 6, nº 2.

ab objecto in organo suo per merum localem motum. Praeter psychicam itaque immutationem habemus jam hic physicam, quae, quia per merum localem operatur motum, motum infimum, locat auditum statim post visum.

In olfactu mutatio physica fit ab objecto quoque per motum et mutantem quidem atque locali magis complicatum, quique olfactum tertio statuit gradu. Hieme congelata non olent.

In gustu physica fit ab objecto certe, sed in ipsomet organo, mutatio, quae, quia nondum immediata, gustum penultimum locat.

Tactu tandem, in ipsomet organo, immediate physica perficitur mutatio ; quapropter tactus crassissimus ultimusque sensuum dicendus est [1].

Est ergo universis quinque sensibus commune quid, immutatio scilicet animalis [2].

In hac numeri ordinisque sensuum theoria Duns Scotus et Sanctus Thomas consentiunt quoad essentialia sibi ; uterque ab Aristotele pendet.

§ 2. Sensuum externorum objecta.

Qualitates corporales objecta sunt quinque sensuum externorum juxta Duns Scotum haud tamen eodem (singulis apprehensae) modo, quoniam aliter atque aliter afficiant eos [3].

Dividit eas Doctor Subtilis in classes tres, utpote : sensibilium propriorum, sensibilium per accidens, sensibilium communium.

Sensibilia propria « per se et primo » immutant sensum vel

[1] « Visus cum immutetur tantum intentionaliter, est nobilior sensus et certior ; post hunc autem auditus, qui minus materialiter immutatur, quia mediante motu locali, qui tantum est primus motuum : post hunc olfactus, quia immutatur materialiter ex parte objecti, quod est remotius a potentia quam organum : post hunc gustus, quia immutatur materialiter ex parte organi, sed non immediate cum suo objecto, sed mediante humore intrinseco. Ultimus autem quoad nobilitatem cognitionis est tactus, quia immediate ab objecto suo materialiter immutatur. » *De Anima*, q. 6, nº 5.

[2] « Si autem immutantur aliqui sensus naturaliter cum hoc tamen immutantur intentionaliter. » *Ibid.*, nº 3.

[3] « Sensitiva (potentia) non percipit primo nisi qualitatem aliquam sensibilem... nec recipit speciem propriam, nisi alicujus talis qualitatis. » 4. *Oxon.*, d. 45, q. 3, nº 7.

immediate, constituuntque objectum proprium sensus, e. gr. calores tactui [1].

Sensibilia per accidens, quae etiamsi immutant sensus externos, at « nec per se, nec primo » ; possunt scilicet sensibilia ista, afficere sensus externos solum mediate. Nullibi proponit exemplum Duns Scotus, dum Aristoteles II[1] libri De Anima, capite VI° tale « per accidens sensibile » docet esse substantiam corporum, quae per se ipsa minime sensibilis per accidens sentitur.

Sensibilia communia demum illae sunt qualitates corporales, quae inter sensibilia per accidens et propria mediae, ipsae quidem sensuum afficiendorum incapaces, per sensibilia propria operantur horumce affectiones aliqualiter modificantes. Vocat eas communes Doctor noster eo quod objectum sensuum constituant commune numeratque quinque : magnitudinem, numerum, figuram, quietem et motum [2].

Sensibilia vel objecta propria quinque sensuum externorum sunt, secundum Duns Scotum, qualitates visibiles, audibiles, odorabiles, gustabiles, tangibiles : adde his immediatam cognitionem, quae nos certioret vel qua constet omnino de actuali corporum rerumve existentia.

Inde : 1. De qualitatibus corporalibus, quatenus objecta propria sunt quinque sensuum externorum.

2. De actuali existentia rerum, quatenus proprio sensuum externorum objecto.

1° De qualitatibus corporalibus quatenus objectis propriis quinque sensuum externorum.

Sensuum externorum alii aliis qualitatibus corporalibus afficiuntur objectis. Itaque afficiuntur :

[1] Exemplum ipsius Duns Scoti in *De Anima*, q. 6, n° 4.

[2] « Sensibilia communia media sunt inter sensibilia propria, quae immutant sensus proprios per se et primo, et sensibilia per accidens, quae nec per se, nec primo immutant sensus, quia sensibilia communia non immutant per se sensus proprios, quia faciunt ad differentiam immutationis ; aliter enim immutat magnitudo magna et parva, et unum quam multa, et circulare quam triangulare, et quiescens quam motum, sed non faciunt ad substantiam immutationis sensus proprii, nisi mediante sensibili proprio, et ideo secundum illa non debet sumi aliqua potentia sensitiva propria. » *De Anima*, q. 6, n° 6.

a) Visus luce, coloribusque [1] ;

b) Auditus sonibus locali per aerem motu ad aures pervenientibus [2] ;

c) Odoratus odoribus quos corpora calendo halant : inde fit, ut hieme non olfaciamus [3] ;

d) Gustus media saliva saporibus [4] ;

e) Tactus, quia sensus generalis continens plures alios [5], tangibilibus in genere, in specie autem binis hinc calidis frigidisque, inde siccis humidisque [6].

2° De actuali existentia, quatenus proprio quinque sensuum externorum objecto.

Praeter qualitates corporales, secundum Duns Scotum, speciale cognitionis sensitivae externae objectum idemque momenti summi actualis existentia rerum dicenda est [7].

Cognitio actualis existentiae rei extra per sensum perficitur secundum Duns Scotum modo non solum intentionali, sed experimentativo, in quantum scilicet sensus externus actualem rerum existentiam immediate percipit apprehenditque, eamque contactu aliquo psychico experitur : « ut est extra in natura

[1] « Dicunt quomodo est lux per se visibilis, cum coloratum sit primum objectum visus et lux non videtur per naturam coloris... ? Dico quod utrumque est per se visibile. » 2 *Paris.*, d. 13, q. 1, n° 3.

[2] « Auditus, qui immutatur a sono se multiplicante in aëre usque ad auditum, mediante motu locali. » *De Anima*, q. 6, n° 3.

[3] « Odoratus, qui sentit odorem procedentem ab odorabili, secundum quod est alteratum per calefactionem, unde in hieme vix odoratur corpus odorabile, praecipue si sit congelatum. » *Ibid.*

[4] « Gustus autem non potest immediate immutari a sapore, qui est ejus objectum, sed mediante humore salivali conjuncto linguae. » *Ibid.*, n° 4.

[5] « Dicendum quod tactus est plures sensus secundum speciem. » *De Anima*, q. 6, ad 3^{um}.

[6] « Tactus potest simul habere duos actus perfectissimos... simul sentit aquam frigidam et humidam esse, sed non eodem actu. » *De Anima*, q. 1, n° 4 ; « Perfectior est immutatio a calido et frigido, quam a humido et sicco. » *Ibid.*, n° 9.

[7] « Actualitas existentiae rei sensibilis per sensationem est objectum sensus. » *Rer. Princ.*, q. 13, art. 1, sect. 8, n° 9 ; « Esse actualis existentiae taliter requiritur, quod sine eo non contingit scire. » *Ibid.*, art. 3, n° 41.

propria »[1]. Ideo Duns Scotus cognitionem istam « notitiam experimentalem » quoque appellat[2].

Haec omnium cognitionum minime perfecta, adeoque infima est, quia minime abstracta, imo ceterae cognitiones abstrahunt ab ea[3].

In hoc imo gradu cognitio haec nondum scientifica[4], nihilominus quanti sit Duns Scotus indefessim inculcat.

Actualis existentiae rei cognitio momenti summi est, quandoquidem instar fundamenti cognitionem intellectualem portat quamcumque. Omnis enim cognitio intellectualis praesupponit cognitionem per sensus externos. Citat hic Scotus illud Aristotelis : « Deficiente sensu, deficit scientia quae est secundum illum sensum[5].

Contra, cognitio per sensus externos innititur notitiae experimentali actualis existentiae rei extra. Sensatio enim actualis externa non fit nisi praesupposita actuali existentia rei extra[6].

Ergo existentiae actualis objecti externi cognitio est fundamentum vel fons cognitionis humanae cujusque[7] : « est seminarium et origo omnis scientiae »[8].

[1] « Sed aliter hujus actualitatem apprehendit sensus particularis, quia cognoscendo, et exprimendo ipsam actualitatem, non solum ut est per speciem in oculo, vel in alio sensu, imo etiam attingit eam, ut est extra in natura propria, quasi quodam contactu spirituali. » *Ibid.*, nº 37.

[2] *Ibid.*, nº 37, 38, 42.

[3] « Illa cognitio est omnium infima, respectu cujus fiunt omnes abstractiones, et ipsa a nullo abstrahit... ergo sensitiva particularis, quae de se habet aspectum ad tale et non aliud, erit cognitio infima. » *Ibid.*, sect. 5, nº 6.

[4] « Haec cognitio infima sensitiva particularis non est scientialis. » *Ibid.*, sect. 7, nº 8.

[5] « Esse actualis existentiae taliter requiritur, quod sine eo non contingit scire... loquimur hic de scientia, quantum ad suam generationem... quod patet per Aristotelem dicentem, 1 Posterior., text. 134, quod deficiente sensu, deficit scientia, quae est secundum illum sensum. » *Ibid.*, sect. 8, nº 9.

[6] « Bene posset esse species in sensu et tamen non esse apprehensa actu, seu sensata actualitas rei exterioris, ut patet in his qui diu aspexerunt aliquem colorem, et postea clauso oculo videtur eis, quod videant colorem, sicut patet per exemplum philosophi de somniis ; sensatio autem actu non potest esse, nisi sensibile sit praesens, sicut nec possum videre album, vel tangere calidum, nisi sint actu. » *Ibid.*, art. 3, nº 41.

[7] « Fundamentum omnis scientiae humanitus acquisitae est particularis sensitiva. » *Ibid.*, art. 1, sect. 8, nº 9.

[8] *Ibid.*, art. 3, nº 40.

Actualis existentia rei extra positae quamquam, secundum Scotum, objectum est cujusque sensus externi, attamen certior fit homo de ipsa per tactum, qui, quia sensus essentialiter animalis communior quoque atque infimus omnium sensuum, adeoque fundamentum eorumdem.

Habet ergo se tactus ad cognoscendam existentiam rei sensibilis extra tantumque valebit, sicut cognitio actualis existentiae per sensum particularem ad cognitionem in genere [1].

Nullus Platonicorum saeculi XIII tantum extollit necessitatem cognitionis sensitivae tamquam fundamenti portantis intellectualem, ut Duns Scotus.

Interrogat is hac occasione num praeter aut extra sensus intellectus merus et angeli existentiam sensibilium actualem cognoscere valeant. Affirmat penitus [2].

Item, utrum angeli boni aliquam « vim infimam » possideant ad cognoscendam existentiam actualem. Duns Scotus haesitat prius quidem declarando hanc vim infimam non esse sensitivam quamvis nec mere intellectivam [3] : Tandem declarat specialem vim infimam vix necessariam esse [4].

Patet ex hisce cunctis, quanti fecerit Duns Scotus problema cognitionis actualis existentiae objecti externi.

Tractantes dein cognitionem directam singularem ad hoc aenigma revertemur.

[1] « Sicut accipiendo totum ordinem virium cognoscitivarum, vis sensitiva experitur actualitatem rei, sic accipiendo totum ordinem sensuum particularium, tactus cum sit infimus, intimius, et certius experimentatur suum sensibile quam aliquis aliorum. » *Rer. Princ.*, q. 13, art. 3, nº 42.

[2] « Intellectus humanus et angelicus tale (actuale) esse cognoscit. » *Rer. Princ.*, q. 13, art. 1, sect. 9, nº 9.

[3] « Oportet quod in Angelo et in anima separata, sit aliqua vis, per quam cognoscatur, et apprehendatur primo actualis existentia rei ; non tamen est sensitiva, nec corpori alligata, nec sit obtusa, vel brevis aspectu, ut sensitiva, sed est infima, et quodam modo alia ab intellectiva scientifica. » *Ibid.*, nº 10.

[4] « Utrum autem hoc quod dictum est de vi infima in Angelo sit verum, non assero, nec video necessitatem ponendi talem vim in cognoscendo. » *Ibid.*, nº 12 (in fine articuli).

CAPUT II

De sensibus internis

Quaestionum, quas tractat Duns Scotus, de sensibus internis illa perquam obscura. Jam Aristoteli perscrutanti non claruit. Demum Arabes, praesertim Averroes cum Avicenna, profecerunt in ipsa elucidanda satis. Eorum laboribus fretus divus Thomas quatuor sensus internos adseruit, nempe sensum communem, phantasiam vel vim imaginativam, memoriam sensitivam, vim aestimativam, cuique privum adtribuens objectum [1].

Quid de his quatuor Scotus ?

Negaverit quidem, si Pluzanski credendus, vim aestimativam, reliquos vero internos sensus confuderit potius [2]. Vacant, postquam Aquinatis doctrinam de providentia in brutis exposuit, ait Duns Scotum a Thoma hac in re discrepare [3]. Ceteri aetate nostra critici

[1] « Necesse est ponere quatuor vires interiores sensitivae partis, scilicet : sensum communem, imaginationem, aestimativam et memorativam... Ad receptionem formarum sensibilium ordinantur sensus proprius et communis... Ad harum autem formarum retentionem et conservationem ordinatur phantasia sive imaginatio... Ad apprehendendum autem intentiones quae per sensum non apprehenduntur, ordinatur vis aestimativa ; ad conservandum autem eas vis memorativa. » *Sum. theol.*, I^{a} p., q. 78, art. 4.

[2] « Duns Scot rejette « l'estimative » ou le sens appréciatif... Nulle part Scot ne compte le sens commun, l'imagination et la mémoire, comme trois sens distincts, et il paraît plusieurs fois les confondre. » Pluzanski E., page 48, *Opus citatum*.

[3] « ... Chez eux (animaux) la prévoyance est donc l'appréciation des biens qu'il faudra rechercher et de choses nuisibles qu'il faudra éviter. C'est ainsi que l'agneau suit sa mère et qu'il fuit le loup. Duns Scot ne souscrit pas à cette doctrine. » Vacant J. M. A., p. 41, *Opus citatum*.

problema praetereunt sensuum internorum, quorum theoriam nos hauriemus e subtilis Doctoris ipsis textibus genuinam.

Praemittito hoc Scotum ut sanctum Thomam universas quatuor denominationes : sensus communis, imaginativa, memoria sensitiva, vis aestimativa, adoptasse ; quod quidem parum interest nostra, quum nodus Gordius hic sit : quatuor illi sensus quatuornum diversos necne significent Duns Scoto ?

§ 1. Sensus communis.

Theoriam de sensu communi suam Duns Scotus fundat in Aristotele citatque librum Stagiritae De Anima, ubi essentialia de sensu communi proponuntur : « Dicitur 2 De Anima, text. com. 149, ait Duns Scotus, omnes sensus particulares uniuntur in sensu communi, et organorum in organo sensus communis radicantur, et eorum mutationes apprehendit » [1].

Necessitatem sensus communis penitus tuetur Scotus, argumentis hisce :

a) Sensuum externorum perceptionibus affectionibusque discernendis et alteram ab altera secernendis sensus communis necessarius omnino [2] ;

b) Sensuum externorum sensationibus gratus ingratusve semper miscetur sensus, qui speciali dumtaxat sensu perficiendus est [3] ;

c) Docet Duns Scotus cum Avicenna existere proculdubio in anima facultatem conservatricem specierum sensibilium, per quas appetitus sensitivus ad agendum movetur etiam sensibilibus absentibus. En, aut ista facultas est sensus communis, aut eum certe supponit, concludit philosophus noster [4].

[1] *Rer. Princ.*, q. 13, art. 2, s. 1, nº 18.

[2] « Cognoscere differentiam albi et dulcis, est operatio animae, hoc autem non reducitur ad potentiam intellectivam... Quod patet quia brutum, in quo non est intellectus cognoscit eorum differentiam. » *De Anima*, q. 9.

[3] *De Anima*, q. 9 ; *Ibid.*, q. 2, nº 2 : « Sensus communis habet judicare de speciebus receptis in organis sensuum particularium. »

[4] « Ad vitam animalis perfecti requiritur conservatio specierum sensibilium, etiam in eorum absentiam, quia aliter non possunt moveri progressive ad sensibile distans vel absens, et mediantibus speciebus sic reservatis, sicut apprehensio sensibilis absentis per aliquam potentiam sensitivam sentit praesente sensibili tantum ; ergo vel ipsa est sensus communis, vel saltem praesupponit ipsum sicut imaginativa vel rememorativa. » *De Anima*, q. 9.

Itaque sensus communis, « causa et radix omnium sensuum particularium » est [1]. Comparat eum Scotus circuli centro, unde radii ad extremam peripheriam emicant, itemque regi solio sedenti atque servorum suorum, sensuum videlicet particularium, actus censenti [2].

Duae Scoti aetate de sensus communis sede opiniones vigebant : Aristotelis, quae sensum communem in corde locabat, et Medicorum, Galeni speciatim, quae locabat in capite eundem [3]. Utramque conciliare conatur Scotus cor fontem, cerebrum officinam sensus communis declarando [4].

Igitur circa sensum communem difficultas vacat : objicitur autem quoad reliquos tres sensus internos.

§ 2. Phantasia vel Imaginativa.

Duns Scotus ipsemet voces phantasia, imaginativa in operibus adhibet suis frequenter jungitque saepe sensui communi, ut in Rerum Principio, in Oxoniensi alibique pariter. Nihilominus Scotus phantasiam cum sensu communi confundere videtur ; exempli gratia in X De Anima quaestione, ubi demonstraturus cerebrum quoque partem sensus communis esse, citat factum longae cogitationis intensaeque caput fatigantis. Jamvero ubique, sicuti videbimus, docet Scotus actui intelligendi actum phantasiae comitari, nusquam vero sensum communem. Inde videtur orta istarum duarum potentiarum apud Doctorem Subtilem confusio.

Certitudinis parandae gratia duas considerabimus rationes :

1. Superius jam audivimus argumentum Avicennae, quod Duns Scotus necessitati sensus communis probandae citat, sic

[1] *De Anima*, q. 10.

[2] *Ibid.*

[3] « Nervi vel venae derivatae a corde secundum Philosophum, vel cerebro secundum Medicos, continuant organa sensuum particularium, organo sensus communis, et ipsi nervi vel venae ei continuantur. » *De Anima*, q. 2, nº 2 ; *Ibid.*, q. 10.

[4] « Imaginandum est ergo, quod a corde ad cerebrum procedunt venae vel nervi, in quibus originaliter continentur organa omnium sensuum ; sed in cerebro, faciunt conum, a cerebro autem procedunt nervi ad organa exteriora facientes basim, et sic organum sensus communis habet ortum a corde, sed in cerebro habet suum complementum. » *De Anima*, q. 10.

sonans : « Ad vitam animalis perfecti requiritur conservatio specierum sensibilium, etiam in eorum absentia, quia aliter non possent moveri progressive ad sensibile distans vel absens, et mediantibus speciebus sic reservatis, sicut apprehensio sensibilis absentis per aliqua potentiam sensitivam sentit praesente sensibili tantum ; ergo vel ipsa est sensus communis, vel saltem praesupponit ipsum sicut imaginativa vel rememorativa » [1]. Textus istius vis dubia quidem, permittit tamen magna cum verisimilitudine supponere auctorem phantasiam atque sensum communem tamquam sensus internos duos habuisse distinctos. Hypothesim hanc ipsemet corroborat certe hisce : « praesupponit ipsum sicut imaginativa vel rememorativa » quibus imaginativam in eodem plano locat cum memoria. Jamvero memoria Scoto sensus internus privus specialis, ut demonstrabitur infra. Ergo liceat nobis concludere phantasiam quoque sensum internum specialem fuisse Scoto.

2. Adest nobis alter magni momenti textus, quippe qui problema feliciter solvit. Enumeratas ad sensus particularis actionem conditiones requisitas affirmat Scotus neque sensui communi neque phantasiae necessarias : « Sensus enim communis, ait Scotus, nec phantasia, ut patet, non tot indigent » [2]. Talis disiunctiva juxtapositio horum duorum sensuum vetat ambigere num Scotus phantasiam discreverit a sensu communi.

§ 3. Memoria sensitiva.

Tractat ex professo Duns Scotus memoriam sensitivam in Oxoniensis operis libri IV, distinctione 45, quaestione 3 — tum in Parisiensis operis libri IV, distinctione 45, quaestione 3 [3]. Amborum fontium textus parisiensis praecisior atque methodi melioris ; caeterum, hoc sub respectu opus Parisiense totum superius.

In ambobus quaerit Scotus num homini memoria intellectualis

[1] *De Anima*, q. 9.

[2] *Rer. Princ.*, q. 13, art. 1, sect. 5, n° 6.

[3] Quod alterum probabilius spurium, notationes discipuli cujusdam, doctrinam magistri continentes.

et ante omnia : sitne animali bruto memoria sensitiva ? Quaestio valde occupans philosophum nostrum, pro itemque contra arguere satagentem.

A memoriae definitione : « Recordatio est cognitio seu cogitatio actus alicujus praeteriti ipsius recordantis et hoc inquantum praeteriti » [1] orsus affert Scotus rationes contra memoriam sensitivam in brutis tam directas quam indirectas.

Rationes directae. Ut bruto (animali) memoriam sensitivam concedamus, deberet hocce :

1. Cognoscere tempus, quia recordatio essentialiter praeteritum spectat, qua tale. Atqui animal ignorat tempus, quod est secundum Aristotelem numerus motus secundum prius et posterius, quod quidem nequit percipi nisi per collationem, cujus collationis sensus incapax est. Ergo animali memoria sensitiva nulla [2].

2. Deberet animal cognoscere actum praesentem ut praesentem, quem animal reflexione tantum cognoscere posset. Atqui reflexionis incapax est. Ergo memoria sensitiva ei nulla [3].

Ratio indirecta ex animalis vita deprompta ingeniose, nam providentia, vindicatio, beneficiatio, actus conservandae speciei ; ut nidificatio et nutritio pullorum, denique disciplinatio — omnes isti actus memoriam prodere videntur atque absque hac, secundum Duns Scotum, explicari possunt [4], nempe : per colluctationem imaginum delectabilium et tristabilium atque appetitum his

[1] 4 *Oxon.*, d. 45, q. 3, n° 5.

[2] « Videtur quod recordatio non possit poni actus, partis sensitivae ; primo ex illa conditione, quae est percipere tempus : Tempus autem est numerus motus secundum prius et posterius 4 Physic. Hoc autem percipi non potest sine collatione posterius ad prius ; collationem autem nullus sensuum habere potest, quia hoc est proprium intellectivae. » 4 *Oxon.*, d. 45, q. 3, n° 7 ; 4 *Paris.*, d. 45, q. 3, n° 5.

[3] « Oportet recordantem percipere actum, dum est praesens ; sed sensitiva non potest percipere actum sentiendi dum praesens est... quia non est potentia illa super se, nec super actum suum conversiva... ergo non est illa recordatio generaliter alicujus sensitivae. » 4 *Oxon.*, d. 45, q. 3, n° 7 ; 4 *Paris.*, d. 45, q. 3, n° 5.

[4] « Videmus actus omnes brutorum... utpote qui videntur actus prudentiae, vel providentiae... similiter actus vindicandi similiter tertio de actibus pertinentibus ad conservationem speciei utpote de nidificatione

conformem, qui excitet impellatque potentiam motivam ad motum. En exemplum, quomodo Duns Scotus explicat vindicationem vel beneficiationem : « De vindicta vel beneficiatione ab animali laeso, vel placato breviter dico quod phantasma delectabilis placentis vel tristabilis offendentis, imprimitur, et semper impulsat appetitum sensitivum ad motum conformem illi objecto vindicandi, vel beneficiandi, quando cessat saltem aliud, delectabile vel tristabile praesens fortius, movens. Et ideo si tempore intermedio suspendatur ista actio per aliud praesens, in fine temporis statim illud phantasma movet et sequitur in appetitu sensitivo motio proportionata isti objecto, quae prius non sequebatur, quia erat impeditum ab alio objecto fortius movente ; non est ergo hic apprehensio praeteriti ut praeteritum, sed tantum ejus, quod est praeteritum, cujus species manens movet ad vindictam, vel gratiam, cessante fortius alio movente » [1]. Pariter alios casus, qui memoriam sensitivam brutis quoque insitam probare videntur, interpretatur.

His rationibus contra memoriam sensitivam in brutis opponit Duns Scotus rationes pro eadem similiter tam directas quam indirectas.

Rationes directae :

1. Cum Aristotele sustinet tempus etiam a bruto cognosci posse, inquantum successio et numerus, quae sunt in notione temporis essentialia, a sensibus quoque percipiuntur, ut non sit opus intellectu [2].

Actus praesens potest percipi aliquomodo sensu quatenus

avium, et nutritione pullorum... et quarto aliqua sunt disciplinabilia... Haec autem omnia possunt sustineri sine recordatione praeteriti ut praeteriti ; ergo nullus actus bruti concludit illum actum inesse bruto. » 4 *Oxon.*, d. 45, q. 3, nº 8 ; 4 *Paris.*, d. 45, q. 3, nº 5, 6.

[1] 4 *Oxon.*, d. 45, q. 3, nº 10.

[2] « Potest responderi ad ista (rationes contra memoriam sensitivam), et quasi ducendo ea ad oppositum. Primum enim de perceptione temporis, concedit Aristoteles, dicens quod primo sensitivo, quo percipimus magnitudinem percipimus et tempus. Nec obstat quod est successivum, quid motus est successivus, et tamen motus est per se sensibilis, ex secundo *De Anima*. Nec obstat quod dicitur numerus, quia numerus est per se sensibilis. » 4 *Oxon.*, d. 45, q. 3, nº 12 ; 4 *Paris.*, d. 45, q. 3, nº 8.

ejusdem subjectum essentialiter, sicut visus percipit aliquomodo visionem, quia visio essentialiter in visu, secundum Aristotelem [1].

Ratio indirecta.

Imo vero prudentiae, vindicationis, beneficiationis, nidificationis, disciplinationis actus potius probant memoriam sensitivam. « Licet probabiliter, ait Doctor Subtilis, possent actus brutorum salvari, non ponendo memorationem proprie in eis sed solum imaginativam cognitivam objecti, quod est praeteritum, licet non ut praeteritum, tamen ea quae videmus in actibus eorum, facilius salvantur ponendo in eis memoriam. [2] »

Ista lustratione et revisione rationum tam directarum quam indirectarum sive contra memoriam sensitivam in bruto, sive pro eadem monstrat Philosophus noster aequitatem suam in tractanda quaestione ; magis tamen ultima indirectaque ratio pro memoria sensitiva praevalere videtur in Scoto etiam obiter scribente : « Concedo in homine esse memoriam sentivam, sed ex hoc non sequitur, quod nulla sit in eo intellectiva » [3].

§ 4. Aestimativa.

Quaestio, num existat sensus internus aestimativa dictus, cujusque naturae sit, intime cohaeret quaestioni, num prudentia brutis pariter agnoscenda, eo quod prudentiae opera brutorum per aestimativam explicantur, quatenus ejus vi fiunt dirigunturque. Sic opinantur Scotus [4] et Thomas Aquinas [5].

[1] « Dico quod phantasma in brutis recordatur actus proprii dum est, non per reflexionem, sed pro quanto actus suus reducitur aliquo modo ad subjectum suum, non per alium actum, sicut visio aliquo modo dicitur colorata, et ideo quodammodo visibilis, et inquantum videt se videre, secundum quod videtur Philosophus sentire », 2 *De Anima. Ibid.*

[2] 4 *Oxon.*, d. 45, q. 3, nº 12 ; 4 *Paris.*, d. 45, q. 3, nº 8.

[3] 4 *Oxon.*, d. 45, q. 3, nº 21.

[4] « Videntur providere, sed nunquam hoc faciunt propter cognitionem futuri, sed propter cognitionem nunc praesentem in aestimativa de aliquo praesenti, vel praeterito. » *Quaest. Subtil.*, l. I, q. 3, nº 5.

[5] « Prudentia in aliis animalibus est naturalis aestimatio de convenientibus prosequendis et fugiendis nocivis, sicut agnus sequitur matrem et fugit lupum. » 1 *Metaph.*, lect. 1 ; 2 *Poster. Anal.*, lect. 20.

Tractans de prudentia brutorum suam de aestimativa prodit opinionem Magister Oxoniensis in III^a Quaestionum Subtilissimarum, ubi statim initio respondet hanc non propriam sed metaphoricam esse [1], quod duabus, ad intelligendam suam de aestimativa doctrinam momenti maximi, fulcit rationibus.

Prima quidem, quod absit brutis deliberatio.

Aristotelis definitione « prudentia est recta ratio agibilium » (6 Ethica cap. 6) accepta [2], infert auctor ad prudentiam proprie dictam pertinere deliberationem ; porro deliberatio brutis abest omnino ; licet enim faciant quaedam eo fere quo homines modo, at certe non deliberatione, qua carent, sed appetitu sensibili [3] ; deliberatio siquidem cognitionem quandam prae se fert futuri prudentiae proprie dictae partem, qua procul dubio bruta carent ; deberent secus posse ratiocinari, nexus effectus inter causasque detegere, cujus nullomodo sunt capacia [4].

Secunda ratio, quod absit brutis omnis libertas vel liberum arbitrium.

Solus homo agere dici potest « cum (bruta) in omni actione sua agantur et non agant » [5]. Sollicitantur, impelluntur ad agendum bruta, agunturque per sensibile in se vel in sua imagine ; imago peculiariter fit ratio sufficiens et determinans ex toto actionem animalis. Varietas igitur actionum in animalibus et eo ipso prudentia animalis, non per determinationem sui, sed unice per fortiorem levioremve impressionem sensibilis in conscientia animali explicanda est [6].

[1] « Respondeo quod prudentia est in brutis metaphorice. » *Quaest. Subtil.*, l. I, q. 3, n° 2.

[2] *Ibid.*

[3] « Licet similiter agant quaedam, sicut homo ageret ex deliberatione, non tamen oportet quod similem cognitionem habeant, nam illud quod licitur ex deliberatione, posset etiam idem non eligi ex deliberatione, sed ex solo appetitu sensitivo. » *Ibid.*, n° 3.

[4] « Non videtur ergo quod futurum ei cui est futurum, possit esse cognitum necessario, vel probabiliter conjecturando, nisi ex causa ; cognitio autem effectus per causam est per collationem proprie dictam, quae negata est a brutis ; ergo prudentia illo modo, quo est in illis, non videtur esse providentia futurorum ex memoria praeteritorum. » *Quaest. Subtil.*, l. I, q. 3, n° 3.

[5] *Ibid.*

[6] « Cum nullius actionis sint domini proprie, nihil agunt providendo

Deficientibus itaque deliberatione et omni libertate animalis prudentia exterius dumtaxat simulat humanam : « necessario agunt non ex praecognitione, nec libere, unde tantum similitudinarie prudentia sunt » [1].

Duabus istis rationibus allatis patet nullam analogiam admisisse Scotum vitam hominis inter et bruti : quod in doctrina Duns Scoti de aestimativa maximi valet.

Sensus interni aestimativae tractabuntur : *a*) existentia ; *b*) actus aestimativae in seipso ; *c*) actus aestimativae in connexione cum imaginativa ; *d*) cum memoria ; *e*) cum appetitu sensitivo.

a) Existentia sensus interni aestimativae.

Ad explicandam prudentiam metaphoricam brutorum admittit Scotus aestimativam : « Videntur (bruta) providere, sed nunquam hoc faciunt propter cognitionem futuri, sed propter cognitionem nunc praesentem in aestimativa de aliquo praesenti vel praeterito » [2]. Duns Scoto dubium non est quin, ut ipse dicit, omne animal sicut potentiam sensitivam ad sentiendum, ita et potentiam aestimativam ad aestimandum habeat : « Omne animal, ait Scotus, sicut habet sensum, ita et aliquam aestimationem ; et tamen omnis potentia apprehensiva habet propriam appetitivam ; ergo omne animal habet duplicem appetitum unum sensitivae, alium aestimativae » [3].

Admissam in brutis estimativam, Doctor noster, a ceteris internis clare distinxit sensibus, praesertim, ut infra videbimus, a phantasia necnon a memoria sensitiva. Quam distinctionem illico statuit prosequendo : « Sed ubi istae virtutes, ait, sunt sine aliis retentivis, ibi nec est appetitio, nec apprehensio convenientis sensibilis, nec convenientis naturae, nec sensibilis, quod pertinet ad aestimativam » [4].

sibi respectu futurorum ex memoria praeteriti, sed videtur quod similiter agunt ex natura, quasi sic mota agerent. » *Ibid.*

« Quod fortius fuit impressum primo occurrit, cessantibus motibus sensibilium exteriorum. » *Ibid.*, nº 6.

Cf. etiam cum textu sub nº 59.

[1] *Quaest. Subtil.*, l. I, q. 3, nº 4.

[2] *Quaest. Subtil.*, l. I, q. 3, nº 5.

[3] *Ibid.*

[4] *Ibid.*

Errat igitur Pluzanski affirmando Scotum aestimativam rejecisse — errat tanto audacius, quia nullum citat textum Duns Scoti.

b) Actus aestimativae in seipso.

Quum constet jam nobis attribuere Scotum animalibus aestimativam ceu sensum internum specialem, interest absolute, ad certas in Doctoris nostri theoria de cognitione affirmationes intelligendas, comperire qui speculetur aestimativae actum ille.

Duns Scotus, denegando animalibus omnem deliberationem et omnem libertatem, nullibi nominat actum aestimativae judicium naturale, quod St. Thomas facit [1], sed explicat illum actum per automatismum psychicum, ut non animal producat aestimandi actum, sed producatur hicce necessario in animali quotiens animal senserit aliquid praesens : « cum cognitione praesentium, instinctum habent ad operandum quasi futura providerent, tamen necessario agunt non ex praecognitione, nec libere » [2].

Comparando igitur actionem humanam prudentiae cum actione animalis : « Similiter, ait Scotus, fieret utraque actio exterior, sed non similiter foret uterque dominus suae actionis » et ulterius : « Similiter agunt (bruta) ex natura, quasi sic mota agerent » [3].

c) Actus aestimativae in connexione cum phantasia.

Attribuendo Scotus brutis aestimativam, qua explicet eorum prudentiam aliquid absens prosequentium, ut ex. gr. hirundinis in difficilioribus accessu locis nidificantis [4], eandem pendere facit a phantasia, sensibile absens praesens conscientiae animalis, reddente. Ergo aestimandi, quid naturae conveniat, actus producitur in animali duarum concursu potentiarum : hinc phantasiae, quae rei sensibilis retineat speciem eandemque conscientiae animalis praesentem sistat, inde aestimativae. Ubi phantasia non causa aestimativae verum occasio agendi, ut apparente sensibili in phantasia e vestigio semperque agat aestimativa : « quod autem (animal) habet phantasiam retentivam speciei sensibilis... si in absentia actu phantasietur de sensibili, actu etiam aestimabit de convenienti » [5].

[1] *Sum. Theol.* I, q. 83, ad. 1 ; Quaest. disp. *De Veritate* 24, a. 2, ad 7.
[2] *Quaest. Subtil.*, l. I, q. 3, n° 4.
[3] *Quaest. Subtil.*, l. I, q. 3, n° 3.
[4] Exemplum ipsius Duns Scoti in *Quaest. Subtil.*, l. I, q. 3, n° 2.
[5] *Quaest. Subtil.*, l. I, q. 3, n° 5.

d) Actus aestimativae in connexione cum memoria sensitiva.

Exigit praeterea Doctor noster ut aestimativam juvet memoria sensitiva. Qua de re vix edicit quidquam. Nihilominus affirmare licet memoriam sensitivam esse Duns Scoto potentiam, accumulentur in qua quaecunque percepit unquam aestimativa suoque sinu accumulata ut, data occasione, prosiliant, provocantem: « quod autem (animal) habet phantasiam retentivam speciei sensibilis, et memoriam retentivam speciei convenientis aestimati, si in absentia actu phantasietur de sensibili, actu etiam aestimabit de convenienti »[1]. Textus hic vi nitet probandi Magistrum Oxoniensem phantasiam et memoriam sensitivam, et aestimativam velut tres apprime distinxisse facultates.

e) Actus aestimativae in connexione cum appetitu.

Duns Scotus aestimativam brutis a se concessam appetitui alligat nexibus intimis, eo quod aestimativa boni naturae convenientis apprehensiva, ne cognitio sua inutilis evadat sociari debeat facultati animal inclinanti in bonum naturae conveniens ejus[2]. Sed appetitus iste in theoria Scoti secus quam in illa divi Thomae non ab animali, quod aliqualiter deliberat, dirigitur verum objecto, quod simul ac per aestimativam perceptum est, jamjam movet appetitum impellitque : « si est conveniens naturae appetitus aestimativae impellet »[3].

Notatu dignum apparet quod Duns Scotus contra, ut videbimus, Albertum Magnum necnon Aquinatem aestimativam vult esse potentiam rigidam, uniformem, caecam naturae servam.

Jamvero statuit eam, qua explicet prudentiam animalium — sed irritam statuit. Re quidem vera, si grani imagine phantasiae praesente statim producetur actus aestimandi in aestimativa, qui sua vice animal per appetitum ad collectionem granorum impellat, cur formica aestate dumtaxat nec hieme pariter collegit grana ?

Haud praeteriit Magistrum nostrum difficultas haec, quinimo agnoscitur ipsi cum aliis in extrema III[a] Quaestionum Subtilissi-

[1] *Quaest. Subtil.*, l. I, q. 3, n° 5.

[2] « Omnis potentia apprehensiva habet propriam appetitivam ; ergo omne animal habet duplicem appetitum ; unum sensitivae, alium aestimativae. » *Quaest. Subtil.*, q. 3, l. I, n° 5.

[3] *Ibid.*

marum. Solutione deficiens « quaere responsionem alibi » [1] ait — quam, quantum scio, nusquam dedit. Mauritius in Annotationibus ad Quaestiones Subtilissimas illud commentaturus dictum — ad Aristotelem, Albertum Magnum, Avicennam aliosque metaphysicos mittit lectorem [2].

Altera ex parte, facultate aestimatione tali, quam animali concessit hominem donare nequivit Doctor Subtilis, quin vi logicae humiliaret. Homo enim essentialiter liber et rationalis prudenter agere nequit nisi duabus facultatibus usus — ratione videlicet liberoque arbitrio — nunquam vero automatico brutorum modo ; hoc esset hominis indignum.

Convenienter nusquam operum suorum Scotus aestimativam attribuit homini. Fallitur Vacant dum asserit consentire Scotum divi Thomae de cogitativa [3].

Quod Magister Oxoniensis aestimativam animalium ejusque actum ad modum automatismi psychici consideravit et idcirco homini aestimativam (cogitativam) recusavit, ponderat plurimum ; siquidem permulta, quae per cognitionem sensuum explicantur commode, ille per cognitionem intellectus, qui ditionem sensuum invadat singulariaque afficiat, interpretatur. Sic intellectus imperium ultra fines a natura praescriptos in sensuum regiones extendit Scotus.

Breviter perstricta de sensibus internis theoria Duns Scoti sic sonat :

1. Est certe homini animalique sensus communis.

2. Phantasia, a sensu communi distincta, utrique communis.

3. Memoria sensitiva, ubi ex professo ipsam tractat, animali non absolute necessaria, tamen ejus actus melius salvari possunt ponendo in eo memoriam sensitivam ; ubi vero eandem obiter tangit, adjudicat utrique.

4. Aestimativa, facultas animali, non homini, priva.

[1] *Quaest. Subtil.*, l. I, p. 3, nº 6.

[2] « Ubi dicit : Quaere responsionem alibi, illud potest quaeri apud Aristotelem in lib. de Animalibus, et Albertum Magnum, et Avicennam et alios Metaphysicos.» *Mauritius, Annotationes* ad l. I, q. 3 ; *Quaest. Subtil.*, p. 50.

[3] « Il (Duns Scot) explique comme son illustre devancier (saint Thomas d'Aquin) la formation des habitudes sensitives et des habitudes empiriques qu'il attribue aussi à la cogitative (*quaest. in Metaph* , q. 4, nº 2). » VACANT, J. M. A., p. 70, *Opus citatum*. Examinavimus citatum a Vacantio Scoti locum atque non ad rem citatum invenimus.

§ 5. S. Thomae de aestimativa doctrina.

Necessarium duximus, caput hoc de sensibus internis finituri, divi Thomae de aestimativa breviter exponere doctrinam ab illa Scoti omnino discrepantem, quod discrimen in utriusque doctoris de cognitione intellectuali doctrina plurimum influxit.

a) Sancti Thomae de aestimativa animali doctrina.

Experientia teste praeter sensibilia percipit animal non sensibilia, dum quid v. gr. noceat, quid prosit aestimat facultate, quam a deficiente sibi quidem intellectu ratiocinante, ceu realiter distinctam admittere necessum est.

Admittendus ergo sensus quidam internus, quem S. Thomas vocavit aestimativam, quamque definit : « Virtus apprehendens de sensato, quod non est sensatum » [1]. Talia non sensata sunt : conveniens, utile, amicum eorundemque contraria [2]. Comparat S. Thomas aestimativam intellectui propter similitudinem operationis, etenim sensibilibus extrahit, ut hicce universalia, sic illa aestimabilia ; at neutrum queunt sensus externi : « Sicut enim, ait Doctor Angelicus, aliquis cognoscit per intellectum quod non cognoscit per sensum, licet non cognosceret nisi accipiendo a sensu ; ita aestimativa, licet modo inferiori » [3].

Merito Albertus Magnus, cui nullibi in nostra quaestione S. Thomas contradicit, imo videtur eum complere, actum aestimativae « cujusdam abstractionis » instar habuit [4], quod intellectus modo ex imaginativa formas repraesentativas utilis vel nocivi trahat. Confusionem praecautum addit formas repraesentativas illas abstrahi modo concreto, una nempe cum conditionibus materialibus [5].

Aestimativae est non hoc illove organo uti, sed intellectus

[1] S. Thomas, *Opusc. de Potent. Anim.*, cap. 4.

[2] *Ibid.* ; *S. Theol.* I, q. 78, a. 4.

[3] *Opusc. de Potent. Anim.*, c. 4.

[4] Albertus Magnus. *De Anim.*, l. VIII, tr. 6, c. 1.

[5] « Haec (aestimativa) a formis in imaginativa retentis elicit intentiones, quae nunquam in sensu fuerunt, sed a sensibilibus conditionibus non sunt separatae. » *De Apprehensione*, Pars 3, nº 10.

instar per totum exerceri subjectum. Sicut enim ratio judicat rem bonam esse malamve, ita aestimativa hoc illudve subjecto prodesse vel obesse.

Reapse utile vel nocivum, amicum vel inimicum, conveniens vel inconveniens quum importent relationem ad finem [1], perceptio eorum aliqualis perceptio finis erit, nec tamen eadem animali ac homini. Nam dum homo cognoscit finem mediaque, eorundemque convenientiam per collationem, animal apprehensione simplici dumtaxat seu intuitione directa [2], quam cognitionem animalem S. Thomas « judicium naturale » appellavit [3]. Judicium hoc naturale aestimativae tametsi essentialiter differt a judicio rationis, quatenus animalibus ad solam conservationem non vero ad scientiam [4], atque ad determinatum objectum [5] datum, nihilosecius judicii rationis praesefert speciem quamdam, atque ad hoc se refert ut imperfectum ad perfectum.

Quod S. Thomas animalibus cognitionem intuitivam apprehensionemve finis attribuit, plurimum refert ; hanc quippe concedendo et cognitionem futuri [6] et consequenter voluntarium aliquod animalibus necessario concessit « in quantum scilicet, ut ipse ait, per cognitionem aliquam moventur in finem » [7].

Voluntarium animale potentia est qua in finem, aestimativa

[1] 1ª, 2ªe, q. 7, a. 2, ad. 2.

[2] « Est autem duplex cognitio finis, perfecta scilicet et imperfecta. Perfecta quidem cognitio est, quando non solum apprehenditur res quae est finis, sed etiam cognoscitur ratio finis et proportio ejus quod ordinatur ad finem ipsum ; et talis cognitio finis competit soli rationali naturae. Imperfecta autem cognitio finis est quae in sola finis apprehensione consistit, sine hoc quod cognoscatur ratio finis et proportio actus ad finem ; et talis cognitio finis reperitur in brutis animalibus per sensum et aestimationem naturalem. » 1ª, 2ªe, q. 6, a. 2.

[3] *De Veritate*, q. 24, a. 1 ; *Ibid.*, a. 2, ad. 7.

[4] « Utilitas enim sensibilium attenditur secundum ordinem, ad conservationem naturae animalis. » 1ª, 2ªe, q. 31, a. 6. « Cognitio inest animalibus non propter ipsum cognoscere, sed propter necessitatem actionis. » 1 *Metaphys.*, lect. 1.

[5] « ... (Bruta) habent judicium ad aliquod opus determinatum, et non ad omnia. » *De Veritate*, q. 24, a. 1.

[6] 1 *Metaphys.*, lect. 1 ; 2 *Poster. Anal.*, l. XX.

[7] 1ª, 2ªe, q. 6, art. 2, ad 1. « Imperfectam cognitionem finis sequitur voluntarium secundum rationem imperfectam. » 1ª, 2ªe, q. 6, a. 2.

apprehensum, modo spontaneo animal tendit [1]. Sicut igitur in homine voluntas respondet intellectui — ita voluntarium in animali aestimativae [2]. Patet ergo, tanto voluntarium animale nulla extrinsecus illata vi spontaneum superari ab humano, quanto cognitio finis apprehensiva in animali superatur ab hominis cognitione deliberativa.

Jam non mirabimur S. Thomam aestimativam animalium, ejusque actus longe aliter concepisse ac Scotum. Dum enim hic aestimativam animalium materiae crassae comparat, ut nisi vi extrinsecus influente haec non agat, ille, harmoniae syntheseosque amans, eandem potentiam rationi humanae comparat, « participationem rationis » [3] appellat, atque per eam faciliter consequenterque explicat prudentiam animalium [4].

b) Sancti Thomae de aestimativa hominis seu de cogitativa doctrina.

Sanctus Thomas vitam naturamque animalium investigabat, ut sensitivam hominis vitam rectius cognosceret ; quapropter Aquinati aestimativae animalium indagatio cum illa hominis aestimativae penitus connectitur.

Homo, ut animal perfectum, possidere debet, secundum Thomam, omnes potentias animalibus superioribus proprias, adeoque aestimativam, quae si jam in animalibus « attingit rationem » [5], in homine longe perfectior invenitur, quippe quae in eadem animae spiritualis essentia rationi coniungitur universali [6],

[1] « Dicuntur (Bruta) voluntarie operari, non quia operantur ex voluntate, sed quia proprio motu, sponte agunt, ita quod a nullo exteriori moventur. » *Ethic.*, l. IV. « Ad rationem voluntarii requiritur, quod principium sit intra, cum aliqua cognitione finis. » 1ª, 2ae, q. 6, a. 2.

[2] « Vis aestimativa... hoc modo se habet ad appetitum partis sensibilis, sicut se habet intellectus practicus ad appetitum voluntatis. » 2 *Dist.*, 24, q. 2, a. 1.

[3] *De Veritate*, q. 25, a. 2.

[4] *Ibid.*, 3 *De Anima*, l. IV ; 3 *Dist.*, 24, q. 1, a. 1 ; 1 *Metaphys.*, l. I.

[5] 3 *Dist.*, 26, q. 1, a. 2.

[6] « ... illam eminentiam habet cogitativa... non per id quod est proprium sensitivae partis, sed per aliquam affinitatem et propinquitatem ad rationem universalem, secundum quandam refluentiam. » *Sum. Theol.*, I, q. 78, art. 4, ad 5.

atque « cogitativa » vel « ratio particularis » vocatur [1]. Ergo principii thomistici : « operari sequitur esse » vi, operatio cogitativae necessario illam superat aestimativae.

Perfici autem judicium aestimativae potest tanto, quanto illi rationis similius reddi.

Judicium intellectuale exercetur super essentias rerum per comparationem earundem. Proinde S. Thomas ipsum fundum rerum cogitativae judicandum assignat, dum quidditates materiales eidem subjicit conferendas : « Quidditas rei materialis, ait, in ipsa sua particularitate est objectum rationis particularis, cujus est conferre de intentionibus particularibus, loco cujus in brutis aestimativa naturalis est : qua potentia per sui coniunctionem cum intellectu, ubi est ratio ipsa quae confert de universalibus, participat vim collativam : sed quia pars sensitivae est, non abstrahit omnino a materia » [2]. Igitur tametsi judicium cogitativae nondum est universale, quippe cujus objectum materialis tantum quidditas, vel substantia individuata esse potest, nihilominus longe perfectius est judicio naturali, quod non super substantias ipsas qua tales, at quantum sunt termini causaeve actionum passionumve exercetur [3].

Munus essentiale rationis universalis est ratiocinari, vel ex duabus praemissis concludere — quod quidem S. Thomas, attribuit cogitativae seu rationi particulari per universalem illustratae. Nec asserendum ratiocinium cogitativae fieri per collatas universalium inter se ideas ; cogitativa enim, quia potentia sensitiva, incapax est concipiendi universalis. Ratiocinium ejus de solis exerceri potest concretis, quae experientiae subjiciuntur. Quandoquidem ergo experientia per se certitudinis parandae incapax omnino, ratiocinia cogitativae nunquam transgredientur limites probabilitatis. Itaque syllogismus per cogitativam formatus, nullam valet includere universalem, sed quia debet concludere a generali ad singulare, potest maior esse propositio ad summum, particularis : « Experimentum, ait S. Thomas, est ex collatione pluriun singularium in memoria receptorum. Hujusmodi autem

[1] *Sum. Theol.*, I, q. 78, a. 4, in cor.
[2] *Opusc. de Principio individuationis*, c. 2.
[3] 2 *De Anima*, l. XIII.

collatio est homini propria et pertinet ad vim cogitativam, quae ratio particularis dicitur : quae est collativa intentionum individualium, sicut ratio universalis intentionum universalium » [1]. « Experimentum, ait, indiget aliqua ratiocinatione circa particularia per quam confertur unum ad aliud, quod est proprium rationis. Puta cum talis recordatur quod talis herba multoties sanavit multos a febre, dicitur esse experimentum quod talis sit sanativa febris » [2].

Sic tam naturam quam operationem nobilitata cogitativa primas partes agit in divi Thomae de cognitione theoria, cujus centrum, secundum nos, imo velut synthesis philosophiae thomisticae haec thesis consideranda est : objectum intellectus formale essentiae sunt rerum sensibilium, et consequenter intellectus quacunque in ditione universalium versatur, objectum autem sensuum, scilicet cognitionis sensitivae res concretas seu singulares esse [3].

Humana cognitione ita radicaliter bipartita, psychicae hominis unitati servandae excogitavit S. Thomas potentiam cogitativam eamque mediam, pontis instar, statuit intellectualem inter atque sensitivam cognitiones [4]. Secundum S. Thomam haud posset intellectus ex rebus sensibilibus quidditates extrahere universales, nisi sensitiva cognitione jam aliquomodo perceptas. « Si autem ita esset, ait Doctor Angelicus, quod sensus apprehenderet solum id quod est particularitatis, et nullomodo cum hoc apprehenderet universale in particulari, non esset possibile quod ex apprehensione sensus causaretur in nobis cognitio universalis » [5]. Percipiuntur autem quatenus cogitativa eas percipit abstrahendo prius, dein ratiocinando :

a) *Abstrahendo*. Rerum sensibilium qualitates a sensibus

[1] 1 *Metaphys.*, l. I.

[2] 2 *Poster. Analyt.*, l. XX.

[3] *Sum. Theol.*, I, q. 84, art. 7 ; 85, 7 et alibi in *Sum. Theol.* ; 3 *Dist.*, 23, q. 1 ; 3 *De Anima*, l. VIII ; *Opusc. de Principio individuationis.*

[4] « Nihilominus haec vis (cogitativa) est in parte sensitiva ; quia vis sensitiva in sui supremo gradu participat aliquid de vi intellectiva in homine, in quo sensus intellectui conjungitur. » 2 *De Anima*, l. XIII ; *Sum. Theol.*, I, q. 78, a. 4.

[5] 2 *Poster. Analyt.*, l. XX.

externis perceptae sensui communi traduntur ad unitatem objecti reducendae, atque reductae phantasiae mandantur imaginibus repraesentandae, atque typi quodammodo photographici effecti in memoriae sensibilis arca conduntur, ubi quatuor processibus videlicet : associationis, similitudinis, contiguitatis, oppositionis ita consociantur ac dissociantur, ut unum universis imaginibus commune quoddam phantasiae ceu imaginem typicam tradent, ex qua trahit cogitativa, aestimativae animalis : objectum suum ex imaginativa vel phantasia per abstractionem sensibilem trahentis, modo, abstractione quoque concreta quidditatem materialem, quam multoties perceptam tandem intellectui porrigit [1]. Hic, cujus objectum quidditas pura, quidditatem materialem, a cogitativa praesentatam, considerando spiritualiter universale sensu proprio percipit inde : « Manifestum est quod singulare sentitur proprie et per se, sed tamen sensus est quodammodo et ipsius universalis. Cognoscit enim Calliam, non solum inquantum est Callias, sed etiam in quantum est hic homo ; et similiter Socratem in quantum est hic homo. Et inde est quod tali acceptione sensu praeexistente, anima intellectiva potest considerare hominem in utroque » [2].

b) *Ratiocinando :* Intellectus humanus non uno ictu potitur veritatibus, legibus, principiis, at pedetentim per analysim, et inductionem. Huic, tam doctis per doctos, quam vulgaribus per minus cultos rudesve observationibus nutritae, respondebit docta vulgarisve experientia, de qua altera nunc agemus experientia. Rusticus, ex. gr. variis lunae simulque aëris vicissitudinibus observatis nexus inter utrasque quosdam autumavit, atque mul-

[1] « Habitus principiorum sunt in nobis a sensu praeexistente. Et ponit (Aristoteles) exemplum in pugnis, quae fiunt per reversionem exercitus devicti et fugati. Cum enim unus eorum perfecerit statum, id est immobiliter coeperit stare et non fugere, alter stat adjungendo se ei, et postea alter, quousque tot congregentur, quod faciunt principium pugnae ; sic etiam de sensu et memoria unius particularis et iterum alterius et alterius, quandoque pervenitur ad id, quod est principium artis et scientiae. » 2 *Poster. Analyt.*, l. XX.

[2] *Ibid.* (Nullum dubium, quin sensus in isto textu significet cogitativam, cujus objectum quidditas particularis est, hic homo).

toties repetitis casibus leges induxit universales, quas variis expressit proverbiorum formis v. gr. ex temporibus lunae pendet serenitas coeli.

S. Thomas medicinae popularis citat exemplum : Certa planta multis febrientibus aestus exstinxit febris. Ergo vi pollet medendi febri [1].

Jamvero perveniunt ad has leges enuntiandas homines ratiocinio cogitativae vel rationis particularis, quod, ut S. Thomae utar exemplo, forma syllogistica indutum ita sonabit : Planta, multis sanans multoties aliquem morbum, vi pollet sanandi ejusdem morbi. Atqui haec planta Platoni, Socrati, etc... febrientibus multoties aestus exstinxit febris. Ergo haec planta sanativa est febris.

Logice quidem ratiocinium hoc claudicat, cum ex particulari conclusio generalis non possit trahi. Neque criteriologice valet, cum ad summum veritatem possibilem enuntiat. Psychologice tamen probatur quia ratiocinio suo cogitativa, quae non ratiocinatur, nisi influente continuo ratione universali, aemulatur simulatque rationem universalem. Quandoquidem ratio universalis ratiocinando solis universalibus pacatur, particularis ratio propter parentelam universalibus conclusionibus delectatur, siquidem tendit naturaliter anima in universale, quod phenomenon S. Thomas « universale quiescens in anima » vocat [2].

Attribuit S. Thomas cogitativae tale ratiocinium, quo facilius explicaret psychologice legem universalem per rationem universalem conceptam. Secundum S. Thomam nempe ratiocinium cogitativae viam sternit universali, eo sensu quod anima, ejusdem ratiocinii ope factum commune — quidditative in casibus particularibus perceptum — generalizans, per rationem universalem idem factum universalizat, atque hoc modo legem construit universalem. Audiamus S. Thomam :

« Experimentum indiget, inquit, aliqua ratiocinatione circa particularia per quam confertur unum ad aliud, quod est proprium rationis. Puta cum talis herba multoties sanavit multos a febre, dicitur esse experimentum quod talis sit sanativa febris. — Ratio

[1] 2 *Poster. Analyt.*, l. XX.
[2] *Ibid.*

autem non sistit in experimento particularium ; sed ex multis particularibus in quibus expertus est, accipit unum commune quod firmatur in anima, et considerat illud absque consideratione alicujus singularium, et hoc accipit ut principium artis et scientiae » [1].

Conclusio. Doctrina S. Thomae de cogitativa, cum illa de aestimativa animali maxime homogena, momenti est summi. Dum enim commentatur Aristotelem Thomas feliciter auget simul, quatenus doctrinae illius metaphysicae de abstractione explicationem addit psychologicam de communicatione inter facultates naturarum duarum hinc sensitivae, cujus objectum est singulare, inde intellectivae cujus objectum est universale. Communicationem istam facit cogitativa in hominis anima sensibili radicata participansque operationes animae spiritualis : tum abstrahendo, tum ratiocinando, atque sic perceptionem universalis vel legis universalis per intellectum praeparando.

S. Thomae de tam humana, quam animali aestimativis doctrina explicat cur Scotus, qui hic aestimativam animalem quidem aliter concepit, inde vero cogitativam rejecit, coactus fuerit sententias ponere de cognitione intellectiva perniciosas, sententiis S. Thomae contrarias omnino.

[1] 2 *Poster. Analyt.*, l. XX.

II. ACTUS SENSATIONIS

Utilissima de sensationis actu reperiuntur in Scoti operibus : 1. *De Anima*, qq. 5 et 12 ; 2. *Rerum principio*, q. 14, articulis 1 et 2 ; et alibi pauca.

Per sensus cognitio duobus juxta Scotum perficitur actibus : priore (« primo ») ipsave specie sensui vel potius organo sensus impressa, altero (« secundo ») ipsamet sensatione.

Distinctio haec reapse realis est. Experimur enim sensuum organa exterioribus affici objectis, sui species imprimentibus, licet sensatio non contingat, dum verbi gratia dormientes, etiamsi excitentur, non audiunt sonum, quem certo audirent, nisi species impressa realiter distingueretur a sensatione ; idem accidit lepori oculis apertis dormienti et homini vigilanti, qui tamen alienum habet a sensu animum, neutri actu videnti [1].

§ 1. Actus primus.

Anima, sustinet philosophus noster, quia immaterialis, species sensibiles, quum spiritum inter et sensibilia nulla obtineat proportio, recipere non immediate sola, sed juncta sensuum organis potest. Sic spectata jam non « potentia remota », quacum juxta Scotum realiter eadem est, verum « potentia propinqua » vocabitur. Per hanc potentiam propinquam mere spiritualis anima objecto sensibili jungi potest [2].

[1] « Alii ponunt, quod (potentiae) sunt sicut passivae, scilicet, non distinguendo speciem ab actu cognoscendi re, sed tantum ratione... Sed contra hoc specialiter descendendo, arguitur sic... In organo caeci, vel vigilantis ad aliqua intense distracti, vel dormientis oculis apertis sicut leporis, imprimitur visibilis species, tamen nullum istorum videt ; ergo, etc. Item, dormiens non audit, tamen excitatur ad sonum, quod non fieret, nisi in ejus organo imprimeretur species soni ; igitur aliud est receptio speciei et auditio. » *De Anima*, q. 12, nº 5 et 6.

[2] « Potentia sensitiva, ut dictum est, est idem quod « esse » animae ; sed « esse » non potest id recipere aliud ab agente pure corporali... ergo cum objectum sensus sit corporale, nec potentia sensitiva poterit ab eo speciem recipere, dicendum, quod anima potest mediante corporeo organo

Hac occasione insilit Thomae Scotus, mordicus tenens potentias animae realiter identicas esse cum essentia ejusdem : Potentiae si accidentia intelligerentur esse ab animae substantia realiter distincta vel qualitates, jam sequeretur animam in cognitione sensitiva nullam habere partem [1]. Sed exceptio haec fundamento prorsus caret. En Thomae doctrina : sensitivae cognitionis principium anima quidem remotum, proximum vero potentiae, quae nisi inhaerentes illi, velut activitatis radici, agere nequeunt [2].

Proportione inter objectum externum et potentiam animae propinquam stabilita, declarat Scotus objectum immutare sensum imprimendo organo suam speciem. Diversa objecta diversas imprimunt species sensibiles [3].

Species impressa efficit in potentia intentionalem similitudinem objecti sensibilis, scilicet formam objectivam absque materia physicaque forma, vel etiam « forma, ut vocat Scotus, naturali ». Doctor subtilis hic exemplo Aristotelis utitur, nempe de cera assimilata annulo per impressionem in illa formae annuli [4].

Ad impressionem itaque sensibilium potentia propinqua passive se habet [5].

aliquid ab objecto corporeo recipere, licet anima non possit immediate... Quia ergo potentia sensitiva propinqua non tantum est anima, imo includit organum, ideo potest ab objecto speciem recipere, stante identitate reali ipsius potentiae nudae cum anima. » *De Anima*, q. 5, nº 3.

[1] « Si (potentia) esset realiter diversa ab anima, sicut qualitas quaedam absoluta, sequeretur quod ipsa cum organo sine essentia animae posset sentire, quia posita causa totali, ponitur ejus effectus. » *Ibid.*

[2] *Quaest. disp. de spirit. creat.*, art. 11 ad 2.

[3] « Omnis potentia cognoscitiva efficit operationem suam per quamdam conformitatem ad objectum, quod non potest facere potentia organica, nisi per receptionem speciei objecti in organo, quo est conformis objecto... a diversis objectis imprimitur diversa species in organo, per diversas immutationes organi ab objecto. » *De Anima*, q. 6, nº 2.

[4] « ... Sicut mediante figura, cera assimilatur annulo, et cera figurata est similitudo formae annuli, non materiae, quia recipit tantum formam, non materiam : ita mediante specie, sensus assimilatur objecto, et species tantum repraesentat formam objectivam. » *De Anima*, q. 5 ad 4 ; *Rer. Princ.*, q. 14, art. 2, nº 20 ; 4 *Oxon.*, d. 12, q. 3, nº 19 ; *Ibid.*, d. 44, q. 3, nº 2.

[5] « Potentiae sunt patientes inquantum impressionem speciei recipiunt. » *De Anima*, q. 12, nº 7. « Nos (Duns Scotus) ponimus sensum recipientem. » *Ibid.*, nº 12 ; *De Anima*, q. 8, nº 5 ad 2.

Species sensibilis potentiae propinquae impressa terminat actum primum sensationis, cui actui finis et effectus est praesentare intentionaliter animae objectum corporale [1].

Usque adhuc Duns Scotus consentit divo Thomae Aristotelem secuto. Consentientes dissentiunt, ubi sensationis actum secundum discutientes, alius alias partes subjecto cognoscenti vel potentiae sensitivae et objecto corporali in specie impressa praesentato adscribunt.

§ 2. Actus secundus.

Divi Thomae hoc de problemate doctrina, succincte comprensa, sic sonat : Objectum corporale per speciem impressam potentiae junctum facit, ut haec agat atque agendo — quippe quae potentia vitalis est — « complexum acquisitae exprimat cognitionis ». Itaque actus secundus cognitionis sensitivae vel sensatio ipsa actualis est potentia sensitiva assimilans sibi speciem objecti impressam, secundum esse repraesentativum, opera ejusdem speciei impressae, secundum esse entitativum.

Igitur objectivitati consulturus cognitionis passivitatem potentiae extollit Thomas, affirmando specie impressa praesentatum objectum causam esse, cur potentia agat [2].

Contrariam carpens viam Scotus extollit nimis subjecti cognoscentis, adeoque sensitivae facultatis activitatem, quod haud deceat animum pati ab externis materialibus objectis, major siquidem animus quam ut passionibus possit subjacere : nequit

[1] *Rer. Princ.*, q. 14, art. 3, nº 33, 37 ; *De Anima*, q. 17, nº 15 et alibi, ubi de specie sensibili et intelligibili loquitur.

[2] « In actione quae manet in agente, oportet, ad hoc quod procedat actio, quod objectum uniatur agenti ; sicut oportet quod sensibile uniatur sensui ad hoc quod sentiat actu. Et ita se habet objectum unitum potentiae ad hujusmodi actionem, sicut forma quae est principium actionis in aliis agentibus ; sicut enim calor est principium formale calefactionis in igne, ita species rei visae est principium formale visionis in oculo. » *Sum. Theol.*, I, q. 56, a. 1. « Ipsa autem visio, secundum rei veritatem, non est passio corporalis, sed principalis ejus causa est virtus animae... Non enim visio est actus animae nisi per organum corporeum ; et ideo non est mirum si habeat aliquam causam ex parte corporeae passionis ; non tamen ita, quod ipsa corporea passio sit idem quod visio. » *De Sensu et sensato*, lect. 4.

ergo cognitionis in processu pati [1]. Atqui haec Platoni jam familiaris, Plotino, imo christianis etiam philosophis platonizantibus placuit sententia — philosophiae platonicae tessera.

Sed quae sunt peracti sensitivae cognitionis actus secundi causae ?

Animam organumque simul expresse proclamat Scotus, tamquam integram actualis sensitivae cognitionis causam, utique supposito objecto repraesentato in specie [2].

Objecti in specie praesentia sensitivae potentiae activitati necessaria omnino « quia eo praesente sequitur effectus, eo non praesente non potest haberi effectus » [3]. At quia potentia sensitiva essentialiter activa est, minime opus est eamdem per speciem determinari. Ipsa se determinat ad actionem potentia, praesente solummodo occasionali objecto. Simili modo sicut sol dissolvit glaciem non per aliquid impressum, sed praesente sibi glacie [4].

Quicumque itaque causalis in potentiam influxus objecti, quaecunque assimilatio cognoscentis cum cognito ignorantur Scoto, cui ubique cognitionis facultas refertur ad objectum, ut actus ad potentiam [5].

Igitur, species impressa, repraesentans objectum, nullomodo in anima est subjective, sed ibi solum objective invenitur, sicut locatum in loco [6]. Sensitiva facultas vel anima operatur eminenter cognitionem tamquam « principium effectivum » sensationis [7].

[1] « Potentiae animae respectu suarum operationum sunt activae, aliter nimis vilescerent. » *De Anima*, q. 12, nº 7.

[2] « Potentia sensitiva cum organo est totalis causa sentiendi. » *De Anima*, q. 5, nº 3. « Dicendum, quod potentia propinqua ad sentiendum, quae est totalis causa eliciendi actum, supposito objecto, est non separabilis, etc.... » *Ibid.*, nº 4.

[3] 1 *Oxon.*, d. 3, q. 7, nº 31.

[4] « Dicendum quod potentia passiva determinatur per aliquid sibi impressum, sed potentia activa non, sed solum per praesentiam objecti expressam, sicut sol habet glaciem dissolvere, non per aliquid sibi impressum, sed tantum praesentata sibi glacie. » *De Anima*, q. 17, nº 15.

[5] « Potentia et objectum se habent ut motivum et mobile, et ita se habent ut dissimilia, quia ut actus et potentia. » 1 *Oxon.*, d. 3, q. 3, nº 4.

[6] « ... sicut locatum continetur in loco, non quidem subjective, ita quod informet locum, sed tantum expressive, sic in proposito de specie. » *De Anima*, q. 17, nº 15.

[7] *De Anima*, q. 12, nº 7.

Hic actus secundi cognitionis sensitivae comprehendendi modus quadrat omnino cum Scoti dictis de actu secundo cognitionis intellectualis, ut hoc videbimus infra : ubi nempe Scotus ex professo theoriam de subjecti cognoscentis activitate proponit. Utrobique Duns Scotus habet prae oculis pro exemplari Augustinum quo Platonem, per Plotinum, aemulante innixus realismum aristotelicum infirmat.

III. QUID VALEAT QUAMQUE SECURA SIT COGNITIO SENSITIVA

Antequam de valore deque securitate cognitionis sensitivae apud Duns Scotum agamus, haec duo praenotamina, quae in praesentanda necnon aestimanda ejusdem cognitionis objectivitate plurimum valent, praemittantur oportet.

I. Sola exploratio facti in potestate sensuum est, intellectui sensationis interpretatione reservata. Itaque in ditione quisque sua haud falluntur sensus, dum sensationem judicans falli potest intellectus. Dum ergo sensus baculum in aqua fractum praesentat, minime fallit. Re quidem vera, sensus in casu est visus, cujus objectum proprium est color per medium luminis. Jamvero videndo baculum in aqua fractum videmus aliquod coloratum deviatum. Ergo non fallitur oculus at intellectus dum, nulla reflexione debita praemissa, enuntiat : baculus est fractus. Luculente S. Thomas haec sic concinnavit : « Per hoc quod sensus ita nuntiant sicut afficiuntur, sequitur — ait Doctor Angelicus — quod non decipiamur in judicio quo judicamus nos sentire aliquid ; sed ex eo quod sensus aliter afficitur interdum quam res sit, sequitur quod nuntiet nobis aliquando rem aliter quam sit, et ex hoc fallimur per sensum circa rem, non circa ipsum sentire [1]. »

II. Datur gemina certitudo : *a*) una facti videlicet, quae prae caeteris veracitatem sensuum exigit ; *b*) altera legis principiive dicta, quaeque idem atque legis principiive universalitas atque necessitas, adeoque cum generalizatione legis cohaerens, respective inductione indiget. Scholasticorum multos praeteriit discrimen hocce, ut ambas certitudines in unam confuderint.

[1] *Sum. Theol.*, I, q. 17, art. 2.

IPSIUS DUNS SCOTI DOCTRINA

§ 1. Fontes in operibus ejusdem.

Fontes principales : Primus quidem in opere de Rerum Principio, quaestione 13, articulo 2, ubi Scotus contra S. Thomam evincere conatur ab intellectu ipso singulare cognosci directe, atque rationem in sensus (spiritum in materiam) descendere debere — fons pugnax et quasi bellatorius (polémique) — sententias, quoad nostram quoque quaestionem, notatu dignas proponit. Secundus, in Oxoniensi libro 1, distinctione 3, quaestione 4, ubi contra Henricum Gandavensem eluctatur nos in naturali cognitione nulla indigere illuminatione divina — fons itidem bellatorius — etiam tam de valore quam de securitate tractat cognitionis sensitivae. Superest tertius, in Quaestionum Subtilissimarum libro 1, quaestione 4, ubi de generatione scientiae ex experientia agens nostram quoque discutit quaestionem non tam oppugnando, quam conciliando varias inter se opiniones.

§ 2. Status quaestionis vel positio problematis.

Identidem monuimus cognitionem intellectualem Scoto inniti sensitivae, praeparari quodammodo ab hacce, quae, quia singularia dumtaxat cognoscit, scientifica dici nequit, quum scientia secum ferat universalium principiorum legumque cognitionem, qua solus gaudet intellectus.

Ut autem praeparare possit intellectivam, sensitiva cognitio supponit dispositionem sensuum normalem ; hanc possident sensus quando sani sunt et ab impedimentis liberi : tum externis, quae faciunt quod visus ex. gr. propter extra oculum causas nigrum videt album ; tum internis, quae faciunt quod gustus ex. gr. propter intra organa causas dulce gustat amarum, ut accidit in febrientibus [1].

Omnia ista magnorum Scholasticorum consonant de discussis

[1] *Quaest. Subtil.*, l. I, q. 4, nº 25.

problematibus doctrinae. Sed caput problematum in eo est : num sensus sani, normaliter dispositi, circa objecta sua propria occupati, sint — juxta Scotum — veraces, adeoque certitudinem facti pariant ? En problema, quod operae pretium est explanare.

§ 3. Solutio problematis.

Pluzanski [1], Vacant [2], Seeberg [3] monstrarunt quantum Scoto valor securitasque sensitivae ab intellectuali pendeant cognitione.

Jam ipsimet scrutemur philosophi nostri, qua par est aequitate, textus privam genuinamque doctrinam pro viribus erutum.

In Rerum Principio [4], Scotus edicit intellectum cognitioni sensuum praeesse hac quidem ratione, ut cunctis sensibus, cunctis organis, cunctis sensuum actibus per substantiam praesit, quod intellectus atque animi substantia unum sint idemque, nulla reali sed formali animam inter ac potentias distinctione admissa [5].

Jamvero dum praeest organis, sensibus sensationibusque intellectus plus quam elevans ad cognitionis intellectualis dignitatem — quod Aristotelici jam fatentur — perficit cognitionem

[1] « Toutefois, si la constatation de l'existence actuelle des choses corporelles, suivant Scot, appartient aux sens, il n'admet pas que les sens puissent s'acquitter d'une façon complète et sûre de cette fonction sans le concours de l'intellect. » *Opus cit.*, p. 50.

[2] « C'est donc toujours au tribunal de l'entendement que Duns Scot en appelle du témoignage des sens. Cette tendance à relever la valeur de la raison se manifeste chez lui en toute circonstance. » *Opus cit.*, p. 82.

[3] « Daher kann die intellektive Kraft als die Hauptursache der Erkenntnis als solcher bezeichnet werden, für die die äußere Welt nur die occasio zur Bethätigung hergibt, denn ohne diese Kraft entstehen nur unzusammenhängende und verworrene Einbildungen, wie etwa im Schlaf oder bei Wahnsinnigen. » *Opus cit.*, p. 98. « Hierbei muß aber in Acht behalten werden, daß der Intellekt keineswegs immer das von der Sinnlichkeit dargebotene Material einfach akzeptiert. Er übt an demselben auch eine rektifizierende Tätigkeit aus. » *Ibid.*, p. 99. « Aber innerhalb dieses (Kausal) Zusammenhanges (zwischen Sensation und Intellektion) hat der Intellekt doch die Möglichkeit, die sinnlichen Eindrücke zu verbessern. » *Ibid.*, p. 108.

[4] Quaestione 13, art. 2.

[5] *De Rer. Princ.*, q. 13, art. 2, sect. 1, nº 16 et 17.

sensitivam, ut sensitivam [1]. Indiget ergo, juxta Scotum, cognitio per sensus externos internosque concursu intellectivae, quod per se imperfecta false et monstruose judicat : « Dico — ait ipse Doctor Subtilis — quod omnes apprehensiones sensitivae, seu sensuum particularium, seu phantasiae, omnes sunt imperfectae in genere cognitionis, seu monstruosae, nisi per intellectum perficiantur. Judicat enim solem bipedalem visus, quod judicium falsum est et monstruosum, cui si conjungatur judicium intellectus, qui dicit ipsum octies majorem tota terra, erit cognitio perfecta » [2]. Mirandum, quod Scotus hanc per visum relationem « judicium falsum et monstruosum » appellat, atque hoc exemplo incitatus omnes sensus, externos internosque, errori obnoxios affirmat.

In Oxoniensi [3] et in Quaestionibus Subtilissimis [4] obviant legenti frequenter dicta : « sensus errat », « sensu errante » etiam ubi Aristotelem cum Augustino, quamquam nequidquam, conciliaturus, velut in Quaestionum Subtilissimarum quarta extrema, per sensus cognitionem effert.

Uno loco Oxoniensis Duns Scotus quaerit : « Sed quomodo habetur certitudo eorum, quae subsunt actibus sensus ? puta, quod aliquod extra est album vel calidum, quale apparet ? [5] » Respondet hisce :

I. Sensus idem in objectum plures intenti, suoque modo quisque referentes idem, pariunt certitudinem, nam « quod evenit ut in pluribus ab aliquo, est effectus naturalis ejus si non sit causa libera ».

II. Sensus idem in objectum plures intenti, suoque modo quisque referentes aliud, provocant crisin : quis errarit sensus retuleritve verum judex intellectus erit, feretque sententiam axiomate, cujus vis a sensibus minime pendeat, quodque verum maneat licet omnes errarent sensus, quod hi axiomatis formandi non causae, sed occasiones tantum sint. Exemplo esto baculus

[1] « Non solum intellectus sit praesens sensibus et eorum apprehensioni, secundum influentiam et secundum substantiam, sed in ratione perfectivi sub ratione agnoscentis. » *Ibid.*, nº 17.

[2] *Ibid.*, nº 19.

[3] Lib. I, d. 3, q. 4.

[4] Lib. I, q. 4.

[5] Lib. I, d. 3, q. 4, nº 11.

aquae immersus, quem visus fractum, quemque contra tactus integrum referunt. Errorem sensus visus et veracitatem sensus tactus judicabit intellectus axiomatis vi sequentis : nullum durum frangitur sibi cedente minus duro [1].

Responsa ista multum valent, quia monstrant : *a*) Doctori Subtili privum esse a sensibus, intra limites objecti sui referentibus, exigere certitudinem principii, dum illi facti dumtaxat parere possunt ; *b*) Scoto certitudinem propositionum quiescentium in anima, ut exempli gratia : nullum durius frangitur tactu mollioris, a veracitate sensuum non pendere.

At « est modus in rebus certi sunt denique fines, quos ultra citraque nequit consistere rectum » respondendum censemus hic

[1] « Respondeo, aut circa tale cognitum opposita apparent diversis sensibus, aut non ; sed omnes sensus cognoscentes illud, habent idem judicium de eo. Si secundo modo, tunc certitudo habetur de veritate talis cogniti per sensus, et per illam propositionem praecedentem : quod evenit ut in pluribus ab aliquo, est effectus naturalis ejus si non sit causa libera ; ergo cum ab isto praesente evenit, ut in pluribus sit talis immutatio sensus, sequitur quod immutatio vel species genita sit effectus naturalis talis causae, et ita tale extra erit album vel calidum, vel tale quale natum est repraesentari per speciem genitam ab ipso ut in pluribus. Si autem diversi sensus habent diversa judicia de aliquo viso extra, puta visus dicit baculum esse fractum, cujus pars est in aqua et pars in aëre, et tactus potest experiri contrarium. Visus etiam semper dicit solem esse quantitatis minoris quam est, et omne visum a remotis esse minus quam sit, in talibus est certitudo quid verum sit, et quis sensus erret, per propositionem quiescentem in anima certiorem omni judicio sensus... in qua propositione intellectus non dependet a sensu sicut a causa, sed sicut ab occasione. Exemplum, intellectus habet hanc propositionem quiescentem, nullum durius frangitur ad tactum alicujus mollis sibi cedentis. Haec est ita per se nota ex terminis, quod etiam si essent accepti a sensibus errantibus, non potest intellectus dubitare de illa propositione... sequitur igitur quod baculus non est fractus, sicut sensus visus judicat ipsum fractum, et ita quis sensus errat et quis non circa fracturam baculi, intellectus judicat per certius omni actu sensus... Et ita ubicumque ratio judicat sensum errare, hoc judicat non per aliquam notitiam praecise acquisitam a sensibus ut a causa, sed per aliquam notitiam occasionatam a sensu in qua non fallitur, etiamsi omnes sensus fallantur ; et per aliquam aliam notitiam acquisitam a sensu vel a sensibus ut in pluribus, quae sciuntur esse vera per propositionem saepe allegatam, scilicet quod evenit ut in pluribus, etc. » 1 *Oxon* d. 3, q. 4, n° 11 et 12 ; *Quaest. Subtil.*, l. I, q. 4, n° 15.

Doctori nostro. Undenam enim omnis nostra intellectualis operatio, nisi a sensibus incipit ? Nonne sensuum exercitio debemus experientiam nostram qua magistra principia per se nota paulatim per continuam idearum, principia illa componentium, abstractionem ediscimus ? Tales ideae componentes, ut puta : totum, pars, durum, molle atque innumerae aliae quid valerent, nisi veraces essent, aut si semper errarent sensus ?

Theoria tamen modo exposita facile intelligitur apud Doctorem Subtilem, nam ipse de fontibus cognitionis intellectivae Aristotelicorum aurium prorsus offensiva edixit.

In opere nempe suo « Quaestiones Subtilissimae » [1], ubi de scientiae ex experientia origine disserit, declarat Scotus : posse intellectum accipere notitiam vel apprehensionem simplicium a sensu errante, atque inde formare propositiones certas tam immediatas, quam mediatas. Et quia possunt talibus propositionibus nexu logico educi conclusiones demonstrabiles naturaliter scibiles, patet Scoto posse scientiam certam acquiri opera sensuum errantium quoque, immo omnium errantium ; exempli gratia, si caeco somnianti imprimerentur species colorum, intellectus ejusdem acciperet apprehensionem simplicium a phantasia errante, quia utente imagine pro re, formaret nihilominus caecus iste de coloribus propositiones ac si videns hausisset notitiam simplicium per oculos sanos, non errantes. Nanciscitur ergo scientiam intellectus pendendo a sensibus mera occasione, quatenus nempe apprehensione sensitiva quacunque tam falsa, quam vera statim imprimuntur intellectui : ens et res, quibus intellectus « virtute propria »aedificat scientiam naturaliter cognoscibilem.

Audiamus ipsum Doctorem Subtilem : « A sensu sive errantis, sive non, potest intellectus apprehendere simplicia, et statim universalissima, quia ad quamcumque apprehensionem sensitivam imprimuntur intellectui ens et res ; simplicibus apprehensis a sensu vero vel falso, propositiones fiunt virtute propria intellectus primo de universalioribus, postea de aliis... igitur cum quocumque errore posito in sensu possint simplicia apprehendi, sicut et modo, et propositiones formari et deveniri ad hoc quae immediata et quae mediata, et mediatarum illatio ex immediatis cognosci ;

[1] Lib. I, q. 4.

sequitur quod omnes conclusiones naturaliter nobis cognoscibiles per demonstrationem cognosci possent, etiamsi omnes sensus errarent, vel aliquis sic et aliquis non. Confirmatur illud, quia si per somnium essent caeco nato impressae omnes species colorum, quamvis acciperet apprehensionem intellectualem de coloribus a sensu errante, quia a phantasia utente phantasmate pro re, tamen omnes propositiones posset ipse formare de coloribus, quas alius, mediatas et immediatas, et per immediatas ad mediatas devenire »[1]. Certe quidem opinionem suam de possibilitate nanciscendi scientiam certam ex fontibus falsis Scotus mitigat prosequendo : « et in nullius simpliciter demonstrabilis notitia (caecus commemoratus) deficeret, sed tantum in cognitione propositionis alicujus, quae non esset sibi demonstrative possibilis probari, sed tantum cognoscibilis ex frequentia sensus, et conclusiones dependentes ex tali propositione ignoraret »[2], verum enimvero jam suo in sensu concepta liberatione cognitionis intellectualis ab illa sensibili, Aristotelicis, objectivitatis tuendae gratia cognitionem intellectualem a veracitate sensitivae pendere omnino docentibus, contrarius, Magister Oxoniensis viam stravit idealistis ac scepticis.

Parum interest, quod tam parum sensit errorem suum, ut ubique citet exemplum caeci, cui phantasia species impresserit colorum, entitatum non imaginarium sed realium. Mirandum potius valde finxisse Scotum theoriam de scientia solius intellectus vi, etiamsi sensus errare possint, imo totus mundus sensibus illusio esset, aedificanda.

BREVIS RECAPITULATIO

1. Admittit Scotus sensus etiam sanos normaliterque dispositos errare posse.

2. Facti certitudinem ab illa principii tantum abest ut distinxerit, ut confuderit utramque.

3. Consequenter viam ad Idealismum adaptavit : cognitionem intellectualem, id est, certam aliquam cognitionem intellectualem a veracitate cognitionis sensitivae liberando.

[1] *Quaest. Subtil.*, l. I, q. 4, nº 11.
[2] *Ibid.*

CONCLUSIO

Aristotelicis par sensitivam cognitionem intellectuali formandae necessariam proclamavit quidem, at non agnovit fidam, imo ut periculosam timebat Scotus : « Videtur concedendum, ait ipse, quod in nobis cognitio intellectiva sit certior simpliciter quam sensitiva [1]. » Igitur fugit a sensibus ad intellectum, quam fugam a Platonicis, Neoplatonicis atque ab ipso didicit Augustino.

[1] *Quaest. Subtil.*, l. I, q. 4, nº 12.

B. PARS SECUNDA

De cognitione intellectuali

I. DE INTELLECTUS OBJECTO PROPRIO

Summi momenti aestimabat Scotus objectum intelligentiae proprium, secus haud pluribus locis tractasset, nec tam diligenter. Tractavit autem in operibus quae sequuntur : 1. De Anima, quaestionibus : 19, 20, 21 ; 2. Oxoniensi, libro 1, distinctione 3, quaestione 3. Etiam in Oxoniensi, sed obiter solum : libro I, distinctione 2, quaestione 2 ; libro IV, distinctione 49, quaestione 11 ; 3. Quaestionibus Subtilissimis, libro II, quaestione 3 ; 4. Quaestionibus Quodlibetalibus, quaestione 14.

Laudatum problema solvit Doctor Subtilis ut adversarius S. Thomae. Notandum tamen Scotum praesentandis Thomae conceptibus haud fidum esse. Sic XIX sui De Anima operis quaestioni, quam totam Thomae expugnando devovit, titulum inscripsit : « Utrum quidditas rei sensibilis *tantum* sit objectum intellectus », atque hisce initiat refutationem : « Contra consequentiam qua dicitur quod *sola* quidditas materialis est objectum nostri intellectus arguitur sic, etc. » Quapropter nostrum est Sanctum Thomam de objecto intellectus primo disserentem breviter, sed sincere reddere lectori.

1° Sancti Thomae de primo intellectus humani objecto doctrina

Problema soluturus considerat hominem Thomas, ut natura praesentat, nempe spiritum unitum materiae, itaque medium spiritum merum inter atque materiam crassam. Concludit inde : intellectum quoque humanum intelligere non mere spiritualiter, sed indigere cooperatione materiae.

Intellectus humanus hinc, quia in anima residet, substantia spirituali formaque corporis, ipse quoque spiritualis actu gaudet spirituali, objecto proprio pariter spirituali ; inde, quia in anima residet substantialiter conjuncta materiae, ab hacce pendebit in intelligendo, pendebitque per sensus quorum opera recipiet materiam, unde modo sibi proprio abstrahet formabitque species intelligibiles, quae phantasmatibus semper comitabuntur. Utrinque sequitur proprium intellectus objectum, quod intellectus naturae proportionari debeat, quamquam necessario materiae alligatum immateriale esse debere.

Ergo primum, proprium, naturale — quae epitheta Thomas eidem applicat rei — intellectus humani objectum est immateriale in materia, intelligibile in sensibili, quidditas vel essentia vel natura rei corporeae [1].

Verumtamen, affirmando proprium intellectus nostri objectum sensibilium rerum essentias esse, tenet Thomas firmiter : omne quod intelligitur ens esse, neque praeter ens quidquam intelligi posse nobis [2] ; caeterum ens quodcunque, secundum Doctorem

[1] « Objectum cognoscibile proportionatur virtuti cognoscitivae. Est autem triplex gradus cognoscitivae virtutis. Quaedam enim cognoscitiva virtus est actus organi corporalis, scilicet sensus ; et ideo objectum cujuslibet sensitivae potentiae est forma, prout in materia corporali existit. Et quia hujusmodi materia est individuationis principium, ideo omnis potentia sensitivae partis est cognoscitiva particularium tantum. Quaedam autem virtus cognoscitiva est quae neque est actus organi corporalis, neque est aliquo modo corporali materiae conjuncta, sicut intellectus angelicus ; et hujus virtutis cognoscitivae objectum est forma sine materia subsistens... Intellectus autem humanus medio modo se habet : non enim est actus alicujus organi, sed tamen est quaedam virtus animae, quae est forma corporis. Et ideo proprium ejus est cognoscere formam in materia quidem corporali individualiter existentem, non tamen prout est in tali materia. » *Sum. Theol.*, p. 1, q. 85, a. 1. « Intellectus Angeli, qui est totaliter a corpore separatus, objectum proprium est substantia intelligibilis a corpore separata... Intellectus autem humani, qui est conjunctus corpori, proprium objectum est quidditas sive natura in materia corporali existens. » *Ibid.*, q. 84, a. 7 ; *Ibid.*, q. 85, a. 7 et alibi.

[2] « Illud quod primo cadit sub apprehensione est ens, cujus intellectus includitur omnibus quaecumque quis apprehendit. » 1ª, 2ªe, q. 94, a. 2. « Nihil potest esse, quod sit praeter id quod intelligitur per ens. » *C. Gentil.*, l. I, c. 24.

Angelicum, ab intellectu nostro capi posse, tamquam omnium rerum formas intentionaliter recipiendi capaci [1].

Perperam ergo Scotus affirmat Thomam docere, quod sola rei sensibilis quidditas objectum sit intellectus nostri, quum hic quodcunque intellectui humano hic in terra cognosci potest : sive creaturam sive creatorem — Deum per analogiam vel relationem ad rerum sensibilium quidditatem cognosci doceat, ut capacitatem cognoscendi quodcunque intellectus tribuat spiritualitati, limites vero in modo cognoscendi substantiali animae cum corpore unioni.

En summa doctrinae thomisticae !

Itaque problema de intellectus humani objecto proprio in ordine naturali, naturae finibus minime trajectis, naturalibus viribus discussit solvitque Doctor Angelicus, atque hoc modo metaphysicae haud minus quam psychologiae expertae satisfecit.

Doctrina S. Thomae de objecto proprio intellectus humani pro origine habet alias Aquinatis theorias et quidem : theoriam hylomorphismi et theoriam de actu cognitionis.

Doctor Angelicus firmiter cum caeteris Scholasticis tenendo cognoscere idem esse atque in mente « objectum in se » reproducere, doctrinam profitebatur cognitionis suis de eodem theoriis convenientem atque sic dictum « hylomorphismum » prae se ferentem. Secundum autem hylomorphismum a Thoma conceptum, corpora siquidem cuncta, etiam vel maxime contingentia, aliquid possident necessarii, duobus constituuntur principiis : contingenti vel materia prima et necessario vel forma. Materia prima quidem per se ad existendum vel non existendum, aut in hoc aliove corpore existendum minime determinata, adeoque elementum mere passivum, essentiam quum habere non possit, ipsa determinationem, actualitatem, essentiam mutuatur ab altero principio : a forma nempe. Corporis igitur essentiam forma dum qualitates ad essentiam non pertinentes, utpote singularitatem, materia gestat [2].

Hujus theoriae strictae servatae vi, S. Thomas objectum

[1] « Anima data est homini loco omnium formarum, ut sit homo quodammodo totum ens... Nam intellectus est quaedam potentia receptiva omnium formarum intelligibilium. » *De Anima*, l. III, c. 8.

[2] *De Anima*, l. II, c. 1 ; *Metaphys.*, l. V, lect. 2 ; *Sum. Theol.*, p. 1, q. 7, a. 2 ; *C. Gent.*, l. I, c. 26 ; *Ibid.*, l. II, c. 68.

attribuit intellectui quidem essentias rerum, quarum essentiarum principium est forma, sensibus vero caetera ad essentiam non pertinentia quorumque principium est materia.

Affirmat Doctor Angelicus objectum intellectus nostri primum quidditatem esse rei materialis conformiter suae de cognitionis actu doctrinae nam « omnis cognitio fit per assimilationem cognoscentis et cogniti »[1]; subjectum autem cognoscens assimilatur objecto cognito quatenus intellectus passive speciem intelligibilem, quae Thomae idem est atque quidditas rerum, recipiendo, ab hac specificatur informaturque[2].

Insuper species intelligibilis intellectum possibilem specificans informansque elaboratur, doctore Thoma, cognitionis facultatum opera sensitivae, quae data est homini propter superiorem cognitionem intellectualem, quod totus ordo sensibilis duce cogitativa praeparet ex rebus contingentibus, adeoque singularibus intelligibilem eamque universalem speciem.

2° Duns Scoti de primo intellectus humani objecto doctrina.

In hac exponenda prius dictemus objectum primum quotuplex esse possit, juxta Scotum, deque quo hic agatur, dein praesentabimus ipsam thesim Scoti cum probatione simul. Itaque prius proponetur problema, dein solutio.

§ 1. Primum intellectus objectum quotuplex sit deque quo hic agatur.

Objectum intellectus primum Scotus triplex invenit : generatione, perfectione, adaequatione[3].

1° Objectum intellectus primum generatione dicit originis ergo vel adquisitionis. Sunt autem hoc essentiae rerum sensibilium, quod ab intellectu humano cognoscantur primae, peccati originalis causa. De hoc tamen objecto non agitur hic.

[1] *C. Gent.*, l. IV, c. 11.

[2] *De Veritate*, q. 8, a. 6.

[3] « Primum accipitur vel generatione, vel perfectione, vel adaequatione.» *De Anima*, q. 21, n° 2.

Notandum autem objectum intellectus primum generatione itemque adaequatione haud idem esse, secundum Scotum, affirmantem : praeter essentias rerum sensibilium spirituales quoque substantias, imo ipsum Deum ab intellectu nostro cognosci posse, adeoque non solas rerum sensibilium essentias naturale vel adaequatum objectum intellectus nostri esse posse.

2° Objectum intellectus primum perfectione dicit propter rei cognitae perfectionem ; atque hoc procul dubio ipse dicendus est Deus. Sed neque de hoc agitur hic [1].

3° Objectum intellectus primum adaequatione dicit, propter ipsam intellectus naturam, quemcunque conceptum intellectui ex natura potentiae convenientem. Atque de hoc nunc agemus [2].

Primitas autem adaequationis, juxta Scotum, duplex : *a*) virtualitatis ; *b*) communitatis vel praedicationis.

a) Objectum intellectus primum adaequatione virtualitatis complectitur virtualiter vel potentialiter intelligibile quodcunque ; ita ut intellectus conceptu objecti hujus caeteros conceptus quoscunque nanciscatur. Tale objectum est essentia divina intellectui divino.

b) Objectum intellectus primum adaequatione communitatis vel praedicationis essentialiter includitur omni intelligibili, seu commune est omni intelligibili, adeoque praedicari potest de cunctis, quae intellectui cognosci possint. Sic color est objectum primum adaequatione communitatis vel praedicationis potentiae visivae [3].

[1] « Via generationis vel acquirendo scientiam, prius apprehendimus quidditates sensibilium, quia pro statu naturae lapsae nihil intelligimus, nisi cum ministerio sensuum ; tamen illae non sunt proprium objectum adaequatum intellectus nostri, sed etiam possumus intelligere substantias separatas ; et tale objectum est prius via perfectionis, et simpliciter, quia per talem cognitionem attingitur objectum perfectissimum quod est Deus. » *De Anima*, q. 19, n° 5.

[2] « Primum autem objectum, de quo loquimur in ista quaestione debet esse primum et adaequatum potentiae. » 1 *Oxon.*, d. 3, q. 3, n° 26. « De primis duobus modis non est intentio quaestionis, sed de tertio tantum, utrum ens sit objectum intellectus nostri, id est, adaequatum objectum. » *De Anima*, q. 21, n° 2.

[3] « Duplex est adaequatio objecti : una secundum virtutem, alia secundum praedicationem ; illud autem dicitur objectum potentiae adae-

Notio, ut objectum primum adaequatione intellectus fieri ac declarari possit, necessario prima duarumve primitatum alterutra erit [1].

Quaerit igitur Scotus objectum primum quod intellectui ex natura potentiae cognoscitivae primitate virtualitatis et communitatis, vel praedicationis, vel ad minus alterutra primitate adaequetur, et quidem : in statu sive culpae sive gloriae, cum vel sine lumine beatificante [2], si hoc lumen detur [3]. Itaque non obliviscendum Scotum problema de objecto proprio intellectus humani non solum ut philosophum, sed ut theologum quoque proposuisse atque in solutione problematis hujus argumentis ex revelatione depromptis usum esse.

quatione secundum virtutem, quod per seipsum solum potest movere intellectum ad notitiam sui, et aliorum, sicut essentia divina est objectum adaequatum primum intellectus divini, quia est sufficienter movens intellectum divinum ad notitiam sui primo, et aliorum ex consequenti... objectum autem adaequatum secundum praedicationem est quod per se, et essentialiter praedicatur de omnibus, quae possunt a potentia cognosci, sicut lux vel color, vel commune utrique praedicatur essentialiter de omnibus visibilibus. » *De Anima*, q. 21, n° 2 ; 1 *Oxon.*, d. 3, q. 3, n° 20.

[1] 1 *Oxon.*, d. 3, q. 3, n° 20.

[2] « Objectum primum potentiae assignatur illud quod adaequatur potentiae in ratione potentiae, non autem quod adaequatur potentiae, ut in aliquo statu. Quemadmodum primum objectum visus non ponitur illud, quod adaequatur visui existenti in medio illuminato lumine candelae praecise, sed quod natum est adaequari visui ex se, quantum est ex natura sui. Nunc autem... nihil potest adaequari intellectui nostro ex natura potentiae in ratione primi objecti, nisi communissimum (i. e. ens)... Et si dicas, dato quod ens commune sit ei objectum adaequatum pro statu isto, non tamen moverent substantiae separatae pro statu isto nisi in majori lumine, quam sit lumen naturale intellectus agentis. Ista ratio nulla videtur, tum quia si tale lumen requiritur, non est ratio ex parte intellectus nostri ut talis potentia, quare modo non possit habere tale lumen. Est enim de se receptivus talis luminis, alioquin, manens idem numquam posset illud idem recipere ; tum quia, etc.... Ergo... non est defectus ex parte luminis. » 1 *Oxon.*, d. 3, q. 3, n° 24 et 25.

[3] Necessitatem luminis beatificantis Duns Scotus nullibi affirmat, imo multis operum suorum locis recusare videtur ut in textu supra citato, et in 4 *Oxon.*, d. 49, q. 11 atque 3 *Oxon.*, d. 14, q. 1

§ 2. Duns Scoti thesis ejusdemque probatio.

Thesis : Ens est primum intellectus objectum adaequatione tum virtualitatis, tum communitatis vel praedicationis [1].

Probaturus hanc thesim suam Scotus duabus processit viis : negationis una refutando aliter sentientium opiniones, assertionis secunda suam exponendo doctrinam.

1. Negationis via :

a) Militat primo Scotus contra S. Thomam, cui, tanquam principali suae de objecto intellectus primo doctrinae adversario, refutando multum insudat.

aa) Ex ratione objecti adaequati, sic Scotus, patet non posse percipi ab ulla potentia, quod non contineatur sub ejusdem potentiae objecto primo. Jam vero secundum fidem intellectus humanus percipit in altera vita essentiam Dei caeterasque substantias spirituales. Ergo, adaequatum intellectus nostri objectum non possunt esse solae rerum sensibilium essentiae [2].

In oculos prosilit Scotum argumento hoc theologum agere neque propterea Thomam philosophum refellere vel subplantare valere, quum theologiae objectum formale ab illo philosophiae differat omnino.

bb) Objectum intellectus adaequatum, dicit Scotus, latius quocunque per se suive ratione cognito patere debet. Igitur si sensibilium rerum essentiae proprium essent intellectus objectum, per hocce cognosceretur aliquod sensibilium rerum essentiis latius patens, ens in communi videlicet. Ergo sensibilium rerum essentiae adaequatum intellectus objectum esse haudquaquam possunt [3].

[1] « Utraque primitate adaequationis ens est primum objectum intellectus nostri. » *De Anima*, q. 21, nº 2.

[2] « Intellectus existens eadem potentia, cognoscet quidditatem substantiae immaterialis, sicut patet secundum fidem de anima beata. Potentia autem manens eadem, non potest habere actum circa aliquid, quod non continetur sub suo primo objecto. » 1 *Oxon.*, d. 3, q. 3, nº 2 ; *De Anima*, q. 19, nº 2 ; *Quodlib.*, q. 14, nº 12 ; *Quaest. Subtil.*, l. II, q. 3, nº 16.

[3] « Nulla potentia potest cognoscere objectum aliquod sub ratione communiori, quam sit ratio sui primi objecti, quod patet primo per

cc) Entis in communi metaphysica, entis in particulari physica sunt scientiae. Igitur, si sensibilium rerum essentiae seu ens in particulari proprium essent intellectus objectum, metaphysica jam non transcenderet magis quam physica, quod rejiciendum. Ergo sensibilium rerum essentiae objectum intellectus adaequatum nequeunt esse. — Hoc tertium argumentum ipse Scotus corollarium dicit esse secundi [1].

Valerent quidem secundum tertiumque Scoti contra Thomam argumenta, si Doctoris Oxoniensis formalismum professus esset Aquinas. Reapse autem propter theoriam formalismi latius ens quam sensibilium rerum patere fecit Scotus essentiam, quod haec esset forma, quae caeteris compositi metaphysici formis ultima superveniat. Aquinas contra, quia peripateticus, sensibilem mundum transcendentis quoque scientiae objectum declarando, nullum discrimen inter ens transcendens et sensibilium rerum essentiam, adeoque inter metaphysicam et physicam admisit, quod in ordine physico universae Scoti formae revera nullo inter se differrent modo. Consequenter, juxta Thomam, falso assereretur conceptus essentiae rerum sensibilium arctior conceptu entis, quum reapse ens in essentia rei sensibilis contineatur, itemque « aliquid » in quidditate.

b) Refellit Scotus secundo Henricum Gandavensem, qui Deum objectum intellectus humani primum esse tenuit, et quidem argumentis duobus :

aa) Primi potentiae cujusvis objecti notio idem objectum eidem potentiae adaequat adaequatione aut praedicationis aut virtualitatis. At Deus intellectui nostro neutra adaequari quit : non praedicationis, quod nequeat praedicari de omni cognoscibili per

rationem, quia tunc illa ratio primi objecti non esset adaequata... sed intellectus cognoscit aliquid sub ratione communiori, quam sit ratio entis materialis, quia cognoscit aliquid sub ratione entis in communi. » 1 *Oxon.*, d. 3, q. 3, n° 3 ; *De Anima*, q. 19, n° 4.

[1] « Praeterea tertio, et redit in idem quasi cum secundo : quidquid per se cognoscitur a potentia cognitiva, vel est ejus objectum primum, vel continetur sub illo objecto ; ens autem, ut est communius sensibili, per se intelligitur ab intellectu nostro, alias Metaphysica non esset magis scientia transcendens quam Physica ; ergo non potest aliquid esse primum objectum intellectus nostri, quod sit particularius ente, quia tunc ens in se nullo modo intelligeretur a nobis. » 1 *Oxon.*, d. 3, q. 3, n° 3.

intellectum ; neque virtualitatis, quod etiamsi Deus virtualiter continet in se intelligibilia cuncta, praeter ipsum alia sint entia, quae praeter cognitionem Dei ab intellectu cognosci possint. Ergo Deus non est objectum primum adaequatum intellectus humani [1].

bb) Adaequatum cujusvis potentiae objectum naturaliter proportionatur eidem potentiae. At Deus non refertur naturaliter ad intellectum nostrum, quia naturaliter cognitionem suam intellectus a sensibus orditur. Ergo Deus non est objectum adaequatum intellectus nostri [2].

c) Tertio refutat Scotus opinionem, qua verum est objectum primum intellectus nostri. Hujus opinionis auctorem, quem ipse Scotus non nominavit, Commentator Oxoniensis Aegidium Romanum retur esse [3]. Quisquis fuit is, opinionem rejicit Scotus nam :

aa) Omne quodcunque intelligi potest, per rationem formalem objecti proprii intellectus intelligitur. Atqui, supposito verum proprium esse intellectus nostri objectum, aliquid nempe bonum non cognoscetur per idem objectum ; bonum enim a vero formaliter distinguitur, adeoque per rationem formalem suam cognoscitur. Ergo verum nequit esse objectum intellectus proprium [4].

[1] « Certum est quod Deus non habet primitatem adaequationis propter communitatem, ita quod dicatur de omni objecto per se intelligibili a nobis ; ergo si aliquam habet primitatem adaequationis, hoc erit propter virtualitatem, quia scilicet virtualiter continet omnia in se per se intelligibilia. Sed propter hoc non erit objectum primum adaequatum intellectui nostro, quia alia entia movent intellectum nostrum propria virtute, ita quod essentia divina non movet intellectum nostrum primo ad se, secundo ad omnia alia cognoscibilia cognoscenda. » 1 *Oxon.*, d. 3, q. 3, n° 5 ; *De Anima*, q. 21, n° 3.

[2] « Objectum naturale habitudinem, et proportionem habet ad potentiam ; Deus autem nullam habet habitudinem nec proportionem ad intellectum nostrum, saltem pro statu viae, quia omnis nostra cognitio naturalis intellectiva, oritur a cognitione sensitiva ; igitur, etc. » *De Anima*, q. 21, n° 3 ; 1 *Oxon.*, d. 3, q. 3, n° 5.

[3] Ad libr. primum, distinct. 3^{iam}, quaest. 3^{iam}, pag. 145, tom. IX.

[4] « Verum non est primum objectum intellectus sub ratione veri. Probatio, quia quod secundum propriam rationem intelligi potest, ut distinguitur ab alio, non intelligitur sub ratione ejus a quo distinguitur ; sed bonum ut distinguitur a vero sub ratione propria boni, potest intelligi ; igitur non intelligitur sub ratione veri. Sed omne quod intelligitur, intelligitur sub ratione formali objecti intellectus ; igitur ratio veri non

bb) Innixus prioris argumenti majori sic secundum enuntiat argumentum. Nihil volitum, nisi praecognitum. Atqui reapse volumus bonum qua bonum, non autem verum. Ergo possumus cognoscere bonum, non autem necessario verum ; adeoque verum non est proprium intellectus objectum [1].

d) Tandem ultimo loco Scotus iterum haud nominatum opinantem : substantiam in communi objectum primum adaequatum intellectus esse, refutat sua de primitatibus theoria.

Primitate nempe caret substantia praedicationis, quod de accidentibus praedicari nequeat ; item virtualitatis, quod accidentia per se non autem per substantiam ab intellectu cognoscantur. Ergo substantia primum intellectus objectum esse nequit [2].

2. Assertionis via.

Philosophis objectum intellectus primum in ente transcendente non locantibus rejectis, incessit Scotus via assertionis, suam nempe : de objecto intellectus proprio exponendo doctrinam.

Intellectus humanus cognoscere per se potest quaecunque sunt possuntve esse, adeoque ens tam increatum — Deum, quam creatum, idque decem praedicamentis distinctum.

Objectum intellectus primum adaequatumque in cunctis per se intelligibilibus latet, adeoque necessario univocum cunctis. Atqui enti tam increato, quam creato univocum est ens. Ens ergo est objectum intellectus nostri primum adaequatumque.

est formalis ratio objecti intellectus. Major patet. Minor probatur ; quia intellectus potest cognoscere differentiam formalem inter verum et bonum. Formalis enim ratio boni non est ratio veri, ut dicunt ; igitur potest bonum intelligi ut differens a vero. » *De Anima*, q. 20, nº 4 ; 1 *Oxon.*, d. 3, q. 3, nº 21.

[1] « Quidquid est volitum sub aliqua ratione, sub eadem potest esse intellectum, quia impossibile est aliquid esse volitum sub aliqua ratione, quae prius non sit cognita ab intellectu ; sed voluntas potest velle bonum sub ratione boni, et non sub ratione veri ; ergo intellectus potest ipsum bonum intelligere, non intelligendo rationem veri. » *De Anima*, q. 20, nº 4 ; 1 *Oxon.*, d. 3, q. 3, nº 22.

[2] « Quod substantia non possit esse primum objectum, probatio ; non enim est primum secundum praedicationem, quia non praedicatur essentialiter de omnibus intelligibilibus, quia non de accidentibus ; nec secundum virtutem, quia non movet intellectum nostrum sufficienter ad sui notitiam et aliorum. » *De Anima*, q. 21, nº 3 ; 1 *Oxon.*, d. 3, q. 3, nº 5.

Inde patet ens quali intelligibilibus cunctis univocum sensu, tali cunctis includi.

Est ens, juxta Scotum, univocum quidditative omnibus conceptibus non simpliciter simplicibus vel resolubilibus in plures ; item univocum denominative seu determinative omnibus conceptibus simpliciter simplicibus vel non resolubilibus in plures.

Consequenter conceptus non simpliciter simplices, ut genera, species, individua et ens increatum continent ens quidditative, conceptus autem simpliciter simplices, ut differentiae ultimae et passiones entis tantum includunt ens, quantum ab ipso denominantur seu determinantur.

Aliis verbis, conceptus non simpliciter simplices includunt ens essentialiter, conceptus autem simpliciter simplices non includunt ens essentialiter, sed includuntur conceptibus essentialiter ens continentibus, nempe : differentiae ultimae includuntur essentialiter in aliquibus contentis in genere, passiones entis virtualiter in ipso ente vel inferioribus ejus.

Talimodo concurrit in ente duplex primitas adaequationis : *a*) communitatis vel praedicationis quoad genera, species, individua ipsumque Deum, quod conceptus isti contineant ens essentialiter adeoque de iisdem ens essentialiter praedicetur ; *b*) virtualitatis quoad differentias ultimas et passiones entis, quod conceptus isti aliqualiter contineantur in ente, quatenus nempe ab ente denominentur, ut e. gr. rationale denominatur a rationalitate, vel ab ente determinentur, ut e. gr. bonum verumve determinantur per ens, quatenus ens eorundem subjectum est atque in eorundem definitione ponitur, ut aliquid additum (formalismus) [1].

En per Scotum problematis de objecto intellectus humani primo solutio !

[1] « Cum nihil possit esse communius ente, et ens non possit esse commune univocum dictum in quid de omnibus per se intelligibilibus, quia non de differentiis ultimis, nec de passionibus ejus, sequitur quod nihil est primum objectum intellectus nostri propter communitatem in quid ipsius ad omne per se intelligibile, et tamen hoc non obstante, dico quod ens est primum objectum intellectus nostri, quia in ipso concurrit duplex primitas, scilicet communitatis et virtualitatis, nam omne per se intelligibile aut includit essentialiter rationem entis, vel continetur virtualiter vel essentialiter in includente essentialiter rationem entis. Omnia enim genera et species, et individua, et omnes partes essentiales generum

§ 3. Duns Scoti de objecto proprio intellectus humani doctrina unde sit orta ?

Doctrina Duns Scoti de objecto primo intellectus humani principiis fundamentalibus philosophiae suae consonat, a quibus logice pendet fluitque.

Ponit solvitque de intellectus objecto proprio problema Scotus :

1. Methodo sibi priva, dum sustinet ordinem supernaturalem sic complere naturalem, ut eidem non tam superponatur, quam jungatur potius. Igitur amborum ordinum ditiones, adeoque neque philosophiam a theologia potuit distinguere, quod prae caeteris quidem apparet in problemate de proprio intellectus humani objecto [1].

Quandoquidem homo fide magistra destinatur vitae post hanc terrestrem ac temporalem coelesti atque aeternae, merito sua amborum ordinum junctorum conceptione ductus, quaesivit Scotus, quodnam esset proprium intellectus humani objectum utrinque [2]. Recta pervenit ad adsignandum homini atque angelo idem, quia quidquid ab intellectu humano intelligi potest, intelligitur etiam ab intellectu angelico [3].

et ens increatum includunt ens quidditative. Omnes differentiae ultimae includuntur in aliquibus istorum essentialiter vel quidditative. Omnes passiones entis includuntur in ente, et in suis inferioribus virtualiter ; igitur illa, quibus ens non est univocum in quid, includuntur in illis quibus ens est sic univocum. Et ita patet, quod ens habet primitatem communitatis ad prima intelligibilia, hoc est, ad conceptus quidditativos generum, specierum, individuorum et partium essentialium omnium istorum et entis increati, et habet primitatem virtualitatis ad intelligibilia inclusa in primis intelligibilibus, hoc est, ad conceptus qualificativos differentiarum ultimarum et passionum propriarum. » 1 *Oxon.*, d. 3, q. 3, nº 8 ; *De Anima*, q. 21, a. nº 4 usque ad finem quaestionis.

[1] Vide Vacant, *Opus cit.*, p. 12-20.

[2] Nemo nostra aetate de intellectus humani objecto proprio problema nisi mere philosophicum censebit, nullus certe philosophus illud theologi instar tractabit. Aequa hac justaque via 13 saeculo processit Thomas Aquinas, dum, hinc naturae atque philosophiae inde gratiae atque theologiae ditiones apprime discernendo, problema laudatum in ordine naturali discutit.

[3] « Objectum adaequatum intellectui nostro ex natura potentiae non est aliquid specialius objecto intellectus Angelici, quia quidquid potest intelligi ab uno, et ab alio. » *Quaest. Quodlib.*, q. 14, nº 12.

2. Theoria sua de univocatione entis quam ad Deum, tam ad creaturam.

Univocationem entis quam ad Deum tam ad creaturam Scotus post Augustinum et contra Aristotelicos fortiter asserit [1]. Eamdem discussioni problematis de intellectus objecto proprio absolute necessariam declarat hisce : « si ens ponatur aequivocum creato et Increato, substantiae et accidenti, cum omnia ista sint per se intelligibilia a nobis, nullum videtur posse poni primum objectum intellectus nostri » [2]. Consequenter problema laudatum soluturus concludere potuit : tali sensu objectum primum adaequabitur intellectui, quo ens Deo atque creaturae univocum [3].

3. Theoria hylomorphismi, modo sibi privo explicata.

Duns Scotus corpora duobus principiis constare vult : forma nimirum atque materia. Materiam attamen primam asserit, una cum Henrico Gandavensi, non meram potentiam esse, sed majus quid actu quodam pollens, adeoque propria quadam praeditam essentia, cujus gratia, per omnipotentiam Dei, absque forma existendi capacem [4]. Scoto proinde corporum essentiae pro principio habent non solam formam, sed hanc cum materia simul [5]. Atque hoc maximi refert ad solvendum problema de proprio intellectus objecto. Admisso enim materiam primo primam una cum forma principium constitutivum essentiae corporis esse, admittit Scotus intellectum essentias non tantum universales cognoscere, sed et concretas, adeoque individua, singularia. Utrumque autem professus, objectum primum intellectus humani declaravit notionem quandam essentiarum : tum universalis, tum concretae communem, vel potius notionem utriusque essentiae notiones transcendentem. Ad quod recta logicae via pervenit.

4. Theoria sua formalismi.

[1] 1 *Oxon.*, d. 3, q. 3 ; *De Anima*, q. 21.

[2] 1 *Oxon.*, d. 3, q. 3, n° 6.

[3] S. Thomas, qui qua philosophus de cognitione Dei naturali, per creaturas nempe dumtaxat, non autem per se loquitur, univocatione scotiana ad problema de intellectus objecto proprio ponendum solvendumque nequaquam indiguit.

[4] Contra S. Thomam ; compara cum dictis supra de origine doctrinae S. Thomae.

[5] *De Rer. Princ.*, q. 8, a. 3 ; *Ibid.*, q. 7, a. 1 ; 2 *Oxon.*, d. 12, q. 1, n° 2.

Problema de objecto intellectus humani proprio, ut Scotus ponit solvitque, maximam partem pendet ab ejusdem formalismi theoria, ut suo notavimus loco [1].

5. Theoria sua de actu cognitionis.

Sustinet Scotus actum cognitionis non confici assimilatione, quod intellectus ad objectum se habeat semper (in utroque videlicet actu) ut agens per essentiam, quamque relationem comparat illi actus ad potentiam, moventis ad mobile [2] ; igitur nec requirit speciem intelligibilem qua specificetur informeturque intellectus, at potius debitam proportionatamque speciei ad intellectum approximationem [3].

Insuper, cogitativa ex rebus contingentibus adeoque singularibus speciem intelligibilem eamque universalem praeparans excidit Scoto [4].

Consequenter liber fuit Doctor Subtilis doctrinam, statuentem : essentias rerum sensibilium objectum intellectus proprium esse, non admittendi.

Conclusio. — Patet nunc Duns Scoti et S. Thomae de objecto intellectus humani proprio doctrinas, origine explicatas, ab invicem differre, quod essentialiter differunt ipsa, quibus ambae procedunt doctrinae, principia. Valent ergo solutiones istae, quod valent systemata auctorum in genere.

Quodsi amborum doctorum de intellectus objecto theorias in se consideremus, illa Scoti apparebit inferior, quoniam ejus ope non attigit auctor scopum propositum, utpote : solutionem problematis, quae illam Thomae universalitate vincat, contradictione vitata.

Re quidem vera satagit Scotus adsignare objectum primum

[1] Theoriam formalismi S. Thomas non profitebatur.

[2] « Potentia et objectum... se habent ut motivum et mobile, et ita se habent ut dissimilia, quia ut actus et potentia. » 1 *Oxon.*, d. 3, q. 3, nº 4.

[3] « Istae duae causae partiales (objectum et potentia) approximatae absque informatione alterius ab altera, per solam approximationem debitam, causant unum effectum communem (cognitionem). » 1 *Oxon.*, d. 3, q. 7, nº 22.

[4] Theoria Duns Scoti de actu cognitionis radicaliter illi S. Thomae adversatur ; compara cum dictis supra de origine doctrinae S. Thomae quoad objectum proprium intellectus.

adaequatum intellectui humano ceu potentiae, ad neutrum vel terrestris vel coelestis vitae restrictae statum ; quod objectum, juxta Doctorem Subtilem, est ens in communi.

Quum itaque objectum intellectus humani proprium, juxta Scotum, in altera vita idem sit quod in hac terrestri, quumque Scoto intellectus animae separatae perfecte cognoscat, in altera vita, essentiam divinam per ens vel ratione entis, debuit concludisse auctor animam unitam quoque corpori haud minus perfecte cognoscere essentiam divinam, quod admittere vetat nos experientia. En inconsequentia, quam aggravat philosophus noster obstinatione recusandi lumen gloriae, quo reddatur humana mens capax cognoscendi Deum, ut est.

Hic nodus gordius, quem scotistae, Magistrum etiam contra evidentem inconsequentiam salvaturi, scindere nituntur. Exempli gratia Commentator Oxoniensis citator : « Quando Doctor (Scotus) dicit, quod ens sub ratione communissima est adaequatum objectum intellectus creati in ratione motivi, accipit ibi ens, ut est communissimum ad omne ens limitatum sive creatum, non autem ut comprehendit sub se ens illimitatum [1]. » Sed advocatus iste num explicatione hac liberavit clientem a labe, quam superius notavimus, contradictionis ? Tam parum ut, solutionem problematis per Magistrum propositam explicaturus, truncaverit doctrinam Magistri, quum hicce proposuerit sibi adsignare intellectui humano objectum primum adaequatum quam in terra, tam in cœlo, nimirum : quodcunque ens utrinque cognoscendum, adeoque tam limitatum, quam illimitatum comprehendens.

Ita cujus Thomam accusabat, in eum ipsemet incidit Scotus defectum analogicum. Respuit doctrinam Aquinatis, objectum primum in essentia rei sensibilis locantem, quod secundum fidem, ut ait, intellectus humanus in altera vita divinae essentiae cognoscendae sit capax. Sed numquid etiam in ista vita mortali ? Experientia quotidiana teste nequaquam, deberet attamen ! Unde inconsequentia haec ? Inde praecipue, quod Scotus duos hos confudit ordines : naturalem nempe cum supernaturali. Evitavit hanc confusionem scientissime Thomas.

[1] Ad librum primum, distinctionem 3[ia]m, quaestionem 3[ia]m. pag. 151, tom. IX.

II. DE VARIIS GENERIBUS COGNITIONIS INTELLECTUALIS :

1° De singularis cognitione intellectuali intuitiva.

Problema de singularis cognitione intellectuali intuitiva, periculosarum disputationum foecundissimum, ut Occami asseclarumque ejusdem systemata produnt, Scotus proposuerat sibi, solvitque ut adversarius Themistii et Aquinatis, quos et nominat [1], amborum « opiniones solemnes » [2], sequaces autem « magnos viros » [3] appellat.

1. Sancti Thomae de singularis cognitione intellectuali doctrina succinctim sic sonat :

Quia singularitas vel rerum materialium individuatio ex materia prima, eaque quantitate signata scaturiat, intellectus autem humanus cognoscat essentias formasve rerum ex materia individuata trahendo, jam non singularia directe sed universalia cognoscit idem. Praecedat ergo cognitio universalis oportet neque nisi per, atque post hanc intellectus cognitionem rei materialis, adeoque singularis, quandam nanciscetur [4].

Redditur intellectus capax singularium juxta Thomam, quatenus continuatur viribus sensitivis, quae circa particularia versantur. Continuatur autem propter substantialem animae corporisque unionem, quod apparet dupliciter : *a*) eo quod intellectus species intelligibiles ex phantasmatibus abstrahit, et phantasmata post abstractionem quoque species intelligibiles comitantur ; *b*) quatenus intellectus influit, debetque necessario influere in

[1] *De Anima*, q. 22, n° 3.
[2] *Rer. Princ.*, q. 13, art. 3, n° 28.
[3] *Ibid.*, n° 31.
[4] « Singulare in rebus materialibus intellectus noster directe, et primo cognoscere non potest. Cujus ratio, quia principium singularium in rebus materialibus est materia individualis ; intellectus autem noster intelligit abstrahendo speciem intelligibilem ab hujusmodi materia ; quod autem a materia individuali abstrahitur, est universale. Unde intellectus noster directe non est cognoscitivus nisi universalium ; indirecte autem et quasi per quamdam reflexionem, potest cognoscere singulare. » *Sum. Theol.*, I P., q. 86, art. 1.

aestimativam humanam, ut haec objectum suum, scilicet « quidditatem rei materialem in ipsa sua particularitate » seu substantiam individuatam percipere possit.

In continuatione intellectus viribus sensitivis per species intelligibiles phantasmatibus abstractas, cognitio intellectualis singularis materialis fiet perceptione indirecta, quatenus mens, considerando directe ope intellectus agentis universale in phantasmate, reflexione quadam apprehendit individuum phantasmate repraesentatum. In continuatione autem intellectus viribus sensitivis propter influentem intellectum in aestimativam, cognitio intellectualis singularis sensibilis fiet per intellectum actui cogitativae accidentaliter se immiscentem, quo actu cogitativa substantiam individuatam seu quidditatem concretam percipit seu singulare. Cognitio ergo haec non erit proprie reflexiva, nec proprie directa, sed media potius directam inter reflexamque, quia profluens ex accidentali unione intellectus cum aestimativa humana ad hujusce objectum percipiendum [1].

En S^ti Thomae de cognitione intellectuali singularis sensibilis doctrina succincte delineata.

Atque haec doctrina efficacissime tuetur ordinem intellectualem contra sensualismi molitiones, eo quod ceu objectum directum subjicit potentiis sensitivis quidem singulare sensibile, intellectui vero universale immateriale. Ita cuique suum adjudicando essentialem differentiam inter intellectualem atque sensitivum ordinem justissime praedicat Thomas.

[1] « Mens nostra singulare directe cognoscere non potest, sed directe cognoscitur a nobis singulare per virtutes sensitivas... tamen mens per accidens singularibus se immiscet, inquantum continuatur viribus sensitivis, quae circa particularia versantur. Quae quidem continuatio est dupliciter. Uno modo inquantum motus sensitivae partis terminatur ad mentem, sicut accidit in motu qui est a rebus ad animam ; et sic mens singulare cognoscit per quamdam reflexionem, prout scilicet mens cognoscendo objectum suum, quod est aliqua natura universalis, redit in cognitionem sui actus, et ulterius in speciem quae est actus sui principium, et ulterius in phantasma a quo species est abstracta ; et sic aliquam cognitionem de singulari accipit. Alio modo secundum quod motus qui est ab anima ad res, incipit a mente, et procedit in partem sensitivam, prout mens regit inferiores vires ; et sic singularibus se immiscet mediante ratione particulari, quae est potentia quaedam individualis. » *De Veritate*, q. 10, art. 5 ; *Ibid.*, q. 2, art. 6 ; *Sum. Theol.*, I. p., q. 86, art. 1 ; 4 *Sent.*, d. 50, q. 1, a. 3.

2. Scoti de cognitione directa intuitiva singularis sensibilis doctrina.

Scotus omnino discrepat a Thoma, dum, cum aliis tribus Franciscanis : Matheo ab Aquasparta, Ricardo de Mediavilla et Rogero de Marston [1], opinatur intellectum humanum posse cognoscere singulare materiale intuitione directa [2].

§ 1. Fontes.

a) Ex professo : 1° In opere de Rerum Principio, quaestione 13, art. 2 et 3, ubi plus perfectiusque quam alibi, licet haud methodice tractat quaestionem Doctor Subtilis ; 2° In 7^mo^ libro Quaestionum Subtilissimarum in quaestionibus 14 et 15 ; in utraque caligat auctor, ut, nisi alios nossemus locos, ambigamus propugnetne an oppugnet Doctor cognitionem singularis intellectualem directam ; 3° Multum valent Commentarii De Anima, quaestione 22, quum essentialia cuncta contineant, quae auctor hac de re in caeteris operibus tam penitius, quam obiter tractavit, atque hic clareat methodice progressus Scotus. *b*) Obiter passim, praesertim autem in Oxoniensis, libro II, distinctione 3 (Ox. II, d. 3, q. 11 ; II, d. 9, q. 2 ; III, d. 14, q. 3 ; IV, d. 45, q. 3 ; IV, d. 49, q. 8), quaestione 6, et in Parisiensis, libro II, distinctione 12, quaestione 8.

§ 2. Duns Scoti de singularium cognitione intellectuali intuitiva doctrina unde sit orta ?

Exposita laudatis locis doctrina de cognitione singularis directa, intuitiva, intellectuali quaeque in Scoti philosophia primas agit partes, ex ejusdem philosophiae principiis logice orditur, quatuor sequentibus intime cohaerens :

1° Reliquis philosophis platonizantibus par Scotus cognitionem intellectualem a sensibus liberare conatus facit, ut ejus — philosophi scholastici adeoque spiritualistae — de cognitione intuitiva intellectuali singularis materialis doctrinam miremur

[1] Ueberweg-Baumgartner, *Geschichte der Philosophie*, Bd. II, S. 457.

[2] « Sensus cognoscit tantum singulare intuitive, et non abstractive, sed intellectus utroque modo. » *De Anima*, q. 22, n° 7.

certe, sed intelligamus etiam. Quandoquidem sensus cognoscunt materiale singulare intuitione directa, Scotus, ut sibi platonizanti usque consentiret, professus est intellectum quoque materiale cognoscere singulare.

Professioni huic Doctoris Subtilis doctrina aristotelica de rerum sensibilium quidditate sola intellectum patientem specificante non obstitit, quandoquidem platonizando passivitatem potentiae cognoscitivae, ut videbimus latius infra, reiecerat activitatam ejusdem exaggerando.

2° Sancti Thomae theoriam de principio individuationis ex hylomorphismo fluentem essentialiter modificando, declarat Scotus individuationis principium non materiam quantitate signatam, sed « haecceitatem » vel ultimam entis realitatem, quâ specifica natura (communis) determinatur et contrahitur adeoque singularis efficitur. Itaque sicut rationalitas accedit ad animalitatem ad constituendam speciem hominis, ita Danielitas, secundum Duns Scotum, accedit ad animalitatem et rationalitatem ad constituendum individuum Danielis [1]. Sic specificationis principio principium individuationis assimilat, adeoque singulare, ut speciem, per se cognosci posse declarat.

3° Est Scoto psychologica thesis suo hylomorphismo suoque formalismo profluens de potentiarum ad animam relationem. Utpote contra Aquinatem, negando Oxoniensis ullam realem distinctionem, potentias inter animamque identicas declarat. « Substantia animae, ait, est idem quod sua potentia realiter [2]. » Inde concludit : tam intellectum, quam sensitivas potentias pariter identicas cum animae substantia esse. Quapropter intellectus atque sensitivae potentiae intime connectuntur. Principii « operari sequitur esse » vi, intimus iste entitativus nexus intellectum sensusque simul cooperari iubet, unde Scotus argumenta pro cognitione intellectuali intuitiva singularis materialis promit, atque explicationem modi quo cognitio haec fiat.

[1] « Singulare... est per se ens addens aliquam entitatem entitati speciei, sed illa per se entitas quam addit, non est entitas quidditativa. » 2 *Oxon.*, d. 3, q. 6, n° 16. « Singulare est unum quid pro hoc, secundo de Trinit. 6. Danielitas ; et si singulare est unum quid, est per se intelligibile. » *Quaest. Subtil.*, l. VII, q. 13, n° 23.

[2] *Rer. Princ.*, q. 11, art. 3, n° 15 ; 2 *Oxon.*, d. 16, q. 1 ; 4 *Oxon.*, d. 44, q. 2.

4° Cogitativae homini a se recusatae partes, quas haecce in cognitione directa singularis, Thoma dictante, agit debuit Scotus intellectui adjudicasse atque, ut hicce has agere possit, ipsum in sensuum ditionem detraxisse. Fecit utrumque.

§ 3. De cognitionis intuitivae intellectualis singularis materialis natura, eidemque cognitioni probandae argumenta.

Ad hujus cognitionis naturam explicandam, aequivocationemque vitandam breviter indicabimus, quomodo Scotus concipiat constitutionem metaphysicam rei singularis extra vel substantiae materialis.

Secundum Scotum existit in re singulari extra singularitas, cujus principium est « haecceitas ». Praeter singularitatem in re singulari extra datur non, ut Thomae, concreta, sed communis natura, quaeque nequit dici « haec ». Ipsa manet absolute indifferens ad existendum absque singularitate [1]. Actualiter existendo in re extra, natura communis singularizatur, quatenus in uno individuo existens, non potest de alio praedicari [2].

Metaphysica constitutione rei singularis extra ita concepta, docet Duns Scotus, in conformitate cum illa, singulare dupliciter accipi posse : 1. singulare qua tale, nempe sub propria ratione singularis, seu ipsa intrinsecus individualitas rei ; 2. singulare quatenus natura communis actuali existentia singularizata [3]. Cum

[1] « In re extra, ubi natura est cum singularitate, non est natura illa de se determinata ad singularitatem, sed est prior naturaliter illa ratione contrahente ipsam ad singularitatem illam ; et inquantum est prior naturaliter ipso contrahente non repugnat sibi esse sine illo contrahente. » 2 *Oxon.*, d. 3, q. 1, n° 7 ; *Ibid.*, n° 9.

[2] « Tale commune (natura in re extra) non est universale in actu, quia deficit ei illa differentia, secundum quam completive universale est universale, secundum quam scilicet ipsum idem aliqua identitate est praedicabile de quolibet individuo. » 2 *Oxon.*, d. 3, q. 1, n° 9.

[3] « Singulare duobus modis accipitur : primo modo, ut dicit actualem rei existentiam, ad quam sequitur, et non secundum quod singulare dicit terminum operationis. Alio modo secundum quod singulare dicit gradum distinctum naturalem unius individui, a gradu naturae alterius individui ejusdem speciei. » *Rer. Princ.*, q. 13, art. 2, n° 13. (Methodi causa ordinem istius distinctionis singularis sinu inverso, in thesi nostra, exponimus) ; 4 *Oxon.*, d. 45, q. 3, n° 21 ; *Quaest. Subtil.*, l. VII, q. 15, n° 4, 8 ; *De Anima*, q. 22, n° 4, 5, 6.

actualiter existere in se, juxta Scotum, confusum quid et indeterminatum sit, alterum hoc singulare vagum indeterminatumque erit [1].

Cognitio singularis pariter duplex esse potest : 1. intellectualis singularis ut singularis : secundum ejus naturam intimam ; 2. intellectualis singularis, quatenus naturae communis actuali existentia singularizatae, seu individui vagi.

Atque his binis tum singularis tum cognitionis ejusdem distinctionibus statutis, duas ponemus, cum Scoto, theses :

Thesis I : Absolute loquendo cognitio intellectualis singularis ut singularis, seu secundum intrinsecus naturam est intellectui humano possibilis, licet non in statu viae [2].

Sic enuntiata duas prodit partes : *a*) quomodo possit ; *b*) quomodo non possit intellectus. Ambas probat Scotus separatim.

a) Potest propter tria :

1. Ens omne per se intelligitur, quia intelligibilitas sequitur entitatem. Atqui singularitas entitatem non minuit, quinimo perficit : quare merito Aristoteles subjectum singulare maxime substantiam affirmat. Ergo singulare ipsa sua intelligitur singularitate [3].

2. Quod per se non intelligitur a nullo intellectu intelligi potest. Atqui singulare, singularitate sua, a Deo et angelis per se intelligitur. Ergo ab homine quoque [4].

3. Singulare adjicit naturae communi solam determinationem singularem. Atqui intelligibilitatem neque natura communis, neque determinatio singularis excludere potest. Ergo singulare intelligi potest [5].

[1] *Rer. Princ.*, q. 13, art. 3, n° 45 ; *De Anima*, q. 22, n° 8, 9.

[2] *De Anima*, q. 22 ; *Quaest. Subtil.*, l. VII, q. 15 ; *Rer. Princ.*, q. 13.

[3] « Singulare est a nobis intelligibile secundum se, quia intelligibilitas sequitur entitatem ; quod ergo secundum se non diminuit de ratione entis, nec intelligibilitatis ; sed singulare secundum se non diminuit de ratione entis, imo est ens actu perfectum, unde in Praedicament et 7 Metaph. dicitur, quod singulare subjectum est maxime substantia ; igitur. » *De Anima*, q. 22, n° 4 ; *Quaest. Subtil.*, l. VII, q. 15, n° 4.

[4] « Illud quod secundum se non est intelligibile, a nullo intellectu potest intelligi ; sed singulare, ut singulare, ab aliquo intellectu potest intelligi, ut ab intellectu divino et angelico ; igitur. » *De Anima*, q. 22, n° 4.

[5] « Singulare nihil addit ultra universale, nisi gradum singularitatis ; sed non excluditur ab intelligente ratione universalitatis in eo contentae, nec etiam ratione gradus singularitatis, quia multa singularia, ut Angeli

b) Non potest in statu viae, experientia teste, quae docet nec sensus nec intellectum hominis posse albedines omnino similes vel res omnino aequales ex. gr. ova, solis radios distinguere. Possent autem procul dubio, si singulare qua tale sua intrinsecus natura cognosci posset ; quodcunque enim sui ratione cognoscitur ab alio quocunque discerni potest [1].

Falso Vacant impugnando Scotum argumentatur ac si opinetur Thomas in hac vita mortali posse hominem cognoscere substantias individuas ratione propriae individualitatis, nam quoad hoc consonat Scoto Thomas [2].

Scotus autem impossibilitatem cognoscendi adscribit non singularitati, sed intellectui, qui nequit intueri singularitatem, sicut oculus nequit solem propter defectum non soli, sed oculo inhaerentem [3].

Videtur Scotus incapacitatem hanc intellectus considerare sequelam peccati originalis, atque bis citat Augustinum idem opinantem [4].

Thesis II : In hac vita mortali intellectus humanus cognoscere directe, intuitive potest singulare, ut naturam communem actualiter existentem [5].

et animae separatae et alia inferiora, intelliguntur ab intellectu divino ; igitur. » *De Anima*, q. 22, nº 4 ; *Quaest. Subtil.*, l. VII, q. 15, nº 4.

[1] « Potentia cognoscens aliquod subjectum sub propria ratione, potest ipsum cognoscere, et ab aliis distinguere, circumscripto quocumque alio non habente istam rationem ; sed manente propria ratione singularitatis, ablatis aliis, non possemus distinguere inter duo singularia nec per sensum, nec per intellectum... Exemplum, si proponantur visui duo alba, vel intellectui duo singularia quaecumque, quae in rei veritate essent distincta essentialiter, si tamen omnino haberent consimilia accidentia, ut locum... magnitudinem et colorem, et sic de aliis conditionibus enumeratis, nec intellectus, nec sensus inter ista distingueret. » *De Anima*, q. 22, nº 6 ; *Quaest. Subtil.*, l. VII, q. 15, nº 5.

[2] Vacant, p. 146 ; *Opus citatum*.

[3] « Singulare est per se intelligibile, quantum ex parte sui ; si autem alicui intellectui non sit per se intelligibile, puta nostro, saltem non est incompossibilitas ex parte singularis, quin per se potest intelligi, sicut nec ex parte solis est impossibilitas videndi... sed ex parte oculi. » 2 *Oxon.*, d. 3, q. 6, nº 16.

[4] 2 *Oxon.*, d. 3, q. 8 ; 1 *Oxon.*, d. 3, q. 3, nº 24.

[5] 4 *Oxon.*, d. 45, q. 3 ; *Quaest. Subtil.*, l. VII, q. 15 ; *De Anima*, q. 22 ; *De Rer. Princ.*, q. 13.

Nullum dubium, quin singulare, ut natura communis actualiter existens, sit etiam juxta Scotum quid materiale, quod necessario secum fert conditiones materiales « hic et nunc », objectum sensuum proprium constituentes [1].

Atque hac thesi Scotus contradicit Thomae firmiter tenenti nullum materiale posse fieri objectum directum potentiae immaterialis, ut intellectus [2].

Quod plurimis probare satagit Doctor Subtilis argumentis, quorum citabimus illa tantum, quae ad viscera philosophiae suae, praesertim ad quatuor superius enumerata puncta, referuntur.

1. Thomas cum Themistio tenent materiam quantitate signatam esse principium individuationis, quae sententia perduxit eos ad theoriam suam de cognitione reflexiva singularis. Atqui sententia falsa. Ergo falsa quoque theoria eorundem, quod singulare indirecte tantum cognoscere possimus [3].

2. Secundum Thomam cum Themistio non repugnat singulari in se, ut intelligatur. Atqui dato nec concesso singularitatis principium materiam esse individualem, ut ipsimet statuunt, haec propterea non adderet rei nisi singularitatem. Ergo etiam secundum Thomam et Themistium individualis materia intelligi deberet, quod negant ambo. En inconsequentia !

Argumenti confirmatio. Inconsequentia haec eo crescit, quod secundum Thomam quidditates rerum materialium, quamquam specifice materiales, ab intellectu nostro intelliguntur [4].

[1] « Per sensum non cognoscitur hoc singulare ut hoc, sed solum ut natura, et sic potest intellectus noster intelligere singulare. » 2 *Paris.*, q. 8, n° 10 ; *Ibid.*, q. 5, n° 10 ; *Quaest. Subtil.*, l. VII, q. 13, n° 25.

[2] « Singulare non repugnat intelligenti, in quantum est singulare, sed in quantum est materiale, quia nihil intelligitur nisi immaterialiter. » *Sum. Theol.*, p. 1, q. 86, art. 1 ad 3^{um}.

[3] « Dicunt quidam, scilicet Thomas et Themistius, quod intellectus noster pro statu viae, non potest cognoscere singulare, quia secundum ipsum materia est principium singularitatis ; sed intellectus noster nihil intelligit, nisi per abstractionem a materia et a conditionibus materiae... Sed contra hoc procedendum est hoc modo, primo destruendo suum principium individuationis... » *De Anima*, q. 22, n° 3.

[4] « Ipsimet (S. Thomas et Themistius) concedunt quod singularitas secundum se non repugnat intellectui, cum anima se possit intelligere, sed materia individualis non addit aliud supra naturam speciei nisi singulari-

Respondeo. At perperam Scotus Thomam inconsequentiae accusat. Reapse nullomodo laborat inconsequentia doctrina, tenens : hinc singulare immateriale (si quod datur) intelligi per se posse, inde vero singulare materiale (de quo hic agitur) non posse directe objici intellectui nostro spirituali. Et hoc docet S. Thomas dicendo : « Singulare non repugnat intelligenti, in quantum est singulare, sed in quantum est materiale ; quia nihil intelligitur nisi immaterialiter. Et ideo si sit aliquid singulare et immateriale, sicut est intellectus, hoc non repugnat intelligenti [1]. »

Nec confirmatio qua roborat argumentum suum Scotus plus valet, quia « secundum Thomam res vel quidditates materiales ab intellectu percipiuntur non ut materiales, sed ut negative immateriales ».

3. Cognitio sensitiva actualis existentiae rei sensibilis, quae quid singularissimum, est origo, fundamentum, principium, seminarium scientiae ; nec tamen fas est hanc cognitionem scientificam dicere, quum scientia in sola resideat intelligentia. Ut ergo scientifica fiat, debet intellectus existentiam actualem cognoscere directe [2].

Resp. Thomas quidem post Aristotelem declarat cognitionem sensitivam, quae inchoat dumtaxat scientiam, intellectualem adeoque scientificam reddi per intellectum post finitam operationem sensitivam.

Scotus contrarium tenet : propter animae substantiam inter atque potentias identitatem cognitio sensitiva ab intellectuali separari nequit. Indigent sensus propter imperfectionem suam intellectus auxilio, ut cognoscere valeant ; itaque perficit intellectus cognitionem sensitivam ut sensitivam [3].

tatem ; materia autem specifica est intelligibilis, quia est de quidditate speciei materialis, quae primo est intelligibilis secundum eum ; ergo materiae intelligibili non repugnat intelligibilitas. » *De Anima*, q. 22, nº 3.

[1] *Sum. Theol.*, p. 1, q. 86, art. 1 ad 3^{um}.

[2] « Sola potentia intellectiva est scientifica, scientia enim est habitus intellectivus, illud autem unde originatur scientia, est res sensibilis, et ejus existentia actualis... ergo oportet virtutem scientificam activam, et quasi generativam scientiae attingere primum Seminarium, seu passivum, seu materiale generationis scientiae, et hoc est esse actuale rei sensibilis exemplaris. » *Rer. Princ.*, q. 13, art. 2, sect. 2, nº 26.

[3] *Rer. Princ.*, q. 13, art. 3, nº 32.

Argumentum hoc plurimum notat Scotum, quia monstrat eum satagentem ut scientiam super experientia fundet, ipsam vero experientiam reddat intellectualem.

4. Quidquid perfectionis in inferiore potentia, in superiore quoque inveniri debet. Atqui cognoscere singulare directe perfectio est sensuum — inferioris potentiae. Ergo intellectus quoque — potentiae superioris [1].

Resp. Sanctus Thomas eidem argumento respondens majori praemissarum, correctionis instar, adjecit « eminentiori modo ». Unde conclusit sensum cognoscere singulare directe, intellectum autem indirecte immaterialiter, nimirum ad modum universalis [2].

In tertio quartoque argumentis apparet specialiter Scotus platonizando scientiam a solo intellectu pendere censet.

5. Cognoscit intellectus universale singulis abstrahendo. Abstrahere autem nequiret quin singulare cognoscat, nam antequam abstrahat, cognoscere debet unde quid abstrahat. Ergo [3].

6. Intellectus cognoscit principia universalia per inductionem. Atqui essentiale inductioni est procedere a singularibus ad universale. Ergo ad inductionem operandam indiget intellectus cognitione singularium [4].

Resp. Construxit Scotus duo praecedentia argumenta quia cogitativam negarat. Cogitativa secundum S. Thomam, ut vidimus, potentia sensibilis essentialiter, accidentaliter intellectiva, percipit singulare — suppositum, cujus suppositi per-

[1] « Quidquid est perfectionis in potentia cognitiva inferiori, scilicet sensitiva, est in superiori, scilicet intellectiva, quae superior est ; sed perfectionis est cognoscere singulare distincte, quod convenit sensui ; igitur. » *De Anima*, q. 22, n° 2 ; *Rer. Princ.*, q. 13, art. 2, sect. 2, n° 27 ; *Quaest. Subtil.*, l. VII, q. 15, n° 3 ; 4 *Oxon.*, d. 49, q. 8, n° 5.

[2] *Sum. Theol.*, p. 1, q. 86, art. 1 ad 4.

[3] « Impossibile est abstrahere universalia a singulari, non cognito singulari, aliter enim abstraheret ignorando a quo abstraheret ; igitur. » *De Anima*, q. 22, n° 3.

[4] « Sicut enim conclusiones cognoscimus syllogismo, ita principia inductione ; sed inductio est processus a singularibus ad universalia, sic autem discurrere pertinet solum ad intellectum ; ergo cognoscit singularia. » *De Anima*, q. 22, n° 4 ; *Quaest. Subtil.*, l. VII, q. 14, n° 1 ; *Rer. Princ.*, q. 13, art. 3, n° 34.

ceptione ad abstrahendum indiget intellectus ; potest autem cogitativa circa singularia ratiocinari, atque sic facilitare intellectui conceptionem principiorum legumque universalium. Negatae cogitativae munus intellectui adiudicare coactus fuit Scotus.

Quod sextum argumentum specialiter attinet animadvertit Vacant, Thomam sequens, intellectum inducendo, id est, a singularibus ad universale procedendo cognoscere posse singulare indirecte, quatenus singulare velut objectum inductionis considerat, legi universali subjectum [1].

7. Rei, quam non intelligit homo, nomen imponere nequit. Atqui dat singularibus rebus nomina. Ergo directe per intellectum singularia cognoscit [2].

Resp. Hoc septimo Scoti argumento latens difficultas Thomae nulla. Quid enim nos impedit, quominus res, postquam per intellectum indirecte cognovimus, nominemus ? Caeterum, ope cogitativae si judicare atque ratiocinari potest homo, cur etiam nomina imponere non possit ? Sicut judicium et ratiocinium, quamquam essentialiter intellectualia, per cogitativam, intellectus participem, fieri accidentaliter possunt operationes ejusdem cogitativae, ita nominatio vel locutio fieri accidentaliter possunt per cogitativam [3].

Itaque armati hac Thomae doctrina Scoti ab imponendis nominibus difficultati sic respondebimus : quod singularia nominamus probat ad Summum nos eadem cognoscere, minime vero directe per intellectum percipere.

8. Cognoscere suum cognoscere intellectus est, non sensuum. Ideoque, cognoscendo nos cognoscere singularia per intellectum cognoscimus.

Jamvero perceptio, qua cognoscitur singulare, ipsa quid singu-

[1] Vacant, *Opus cit.*, p. 157-158.

[2] « Nulli non intellecto a nobis, possumus nomen imponere... Sed intellectus noster, vel nos, mediante intellectu, imponimus nomina singularibus ; igitur. » *De Anima*, q. 22, n° 5 ; *Quaest. Subtil.*, l. VII, q. 14, n° 1.

[3] Vide Vacant. Auctor iste in opere citato septimi hujus argumenti occasione per 35 paginas theoriam sermonis juxta Thomae principia exponit. (a. p. 163 ad p. 198.)

lare, quia repraesentat veraciter objectum cognitum. Hanc ergo cognoscendo intellectus singulare directe percipit [1].

Resp. Hoc Scoti argumentum frustrari nequit Thomae de intellectuali singularis cognitione indirecta doctrinam. Secundum Thomam, ut vidimus toties, singulare objectum speciale est cogitativae, quae sensus interior est. Atqui interiores sensus cognoscere suos actus possunt licet non simul naturam eorundem ; sensuum interiorum reflexio incompleta est, dum completam Thomas uni adjudicat intelligentiae [2]. Reflexio ergo hoc octavo Scoti argumento signata potest esse pure actio cogitativae.

His addit Vacant : non constare, sed, quum Scotus hoc assertum non probet, quaeri num intellectus super actus reflectendo suos singulare percipiat directe [3].

Itaque nec hoc octavo argumento probat Scotus cognitionem intellectualem directam singularis iis, qui Thomae doctrinam de cogitativa sensibusque internis acceptarunt.

9. Judicamus et argumentamur singulare jungendo universali e. gr. Socrates est homo. Atqui hoc facere nequiremus nisi intellectus utrumque cognosceret. Ergo [4].

10. Singularia prosequimur appetitu voluntario, secus peccare nequiremus.

[1] « Experimur nos cognoscere singularia... ; hoc autem non est per potentiam sensitivam, quia non est reflexiva super actum suum ; ergo per intellectum cognoscimus nos cognoscere singulare ; sed intellectus non potest cognoscere se cognoscere singulare, nisi ipsum singulare cognoscatur ; quia actus quo primo cognoscitur singulare est repraesentativum singularitatis tamquam ejus similitudo vera, magis quam species singularis ; igitur. » *De Anima*, q. 22, nº 5.

[2] « Quamvis sensus cognoscat se sentire, non tamen cognoscit naturam suam, et per consequens nec naturam sui actus, nec proportionem ejus ad res, et ita nec veritatem ejus. Cujus est ratio, quia illa quae sunt perfectissima mentibus, ut substantiae intellectuales, redeunt ad essentiam suam reditione completa... Sensus autem qui inter caeteros est propinquior intellectuali substantiae, redire quidem incipit ad essentiam suam, quia cognoscit se sentire ; non tamen completur ejus reditio ; quia sensus non cognoscit essentiam suam. » *De Veritate*, q. 1, art. 9.

[3] Vacant, *Opus cit.*, p. 162.

[4] « Intellectus componit universale cum singulari, et cognoscit compositum, ut cum dicitur, Socrates est homo ; ergo cognoscit utrumque. » *De Anima*, q. 22, nº 2 ; *Quaest. Subtil.*, l. VII, q. 15, nº 3 ; *Rer. Princ.*, q. 13, art. 2, sect. 2, nº 27.

Atqui appetitum voluntarium necessario praecedit cognitio intellectualis (juxta illud nihil volitum nisi praecognitum). Ergo [1].

11. Consulimus et nobis et aliis quid in praxi agendum sit, praesentia conferendo hinc cum praeteritis, inde cum futuris. Ergo circa singularia intellectualiter versando ipsa intellectualiter cognoscere debemus [2].

12. Apostoli Salvatorem cognoverunt, ut personam actualiter existentem atque Thomas incredulus hoc sensu eundem confessus est, quod infitiari esset insensati, mendacis, haeretici. Ergo [3].

Resp. At nullum quatuor ultimorum argumentorum absolute probare, jam patet ex unione psychologica inter potentias sensitivas et intellectum in homine, quaeque radicatur in substantiali animi corporisque unione, atque constituitur eo quod cogitativa, ordinum hinc sensibilis summum, inde intellectivi imum attingendo, intimam intellectum inter atque sensitivas potentias operatur cooperationem, cujus effectus : scientia.

Atque hac S. Thomae doctrina instructi sic quatuor Scoti respondebimus argumentis : Illa, in majoribus quatuor argumentorum praemissis expressa, facta salvantur etiam sola cognitione intellectuali indirecta singularis admissa, dummodo cognitio directa singularis cogitativae attribuatur.

[1] « Invisa possumus diligere et incognita nequaquam : sed experimur nos diligere appetitu voluntario particularia, aliter peccatum non esset... sed appetitum voluntarium necessario praecedit cognitio intellectiva ; ergo cognoscimus singularia. » *Rer. Princ.*, q. 13, art. 2, sect. 2, nº 27 ; *Quaest. Subtil.*, l. VII, q. 14, nº 1 ; *De Anima*, q. 22, nº 4.

[2] « Consiliare et disponere de agendis, cum dicat quamdam collationem praesentium ad praeterita et futura, necessario spectat ad partem intellectivam practicam : sed operatio et agenda sunt circa singularia 6. Ethicorum ; ergo. » *Rer. Princ.*, q. 13, art. 2, sect. 2, nº 27.

[3] « Si intellectus in via nullam habet notitiam de existentia actuali rei extra, nisi ut praesentatur sibi in phantasmate seu imaginativa nunquam in hac vita, ut dicit haec (S. Thomae et Themistii) positio, cognoscit aliquid de ea, quod plane est haereticum, non solum falsum... Quod sit haereticum, patet, quia certum est, quod idem est actus intellectus : certum est autem, quod Apostoli actualem hominem, quem videbant actu existentem, Deum esse credebant ; quem palpabant, Deum credebant... Non ergo videtur sanum dicere, quod intellectus coniunctus non attingit singulare, nisi ut est in imaginatione. » *Rer. Princ.*, q. 13, art., 3 nºs 32, 33.

§ 4. Quomodo intellectus cognoscat singulare sensibile ?

De cognitione rei sensibilis extra locuti, promisimus lectori fore, ut eam iterum disquiramus ; atque hic disquiremus. Propter realem, apud Duns Scotum, intelligentiae, facultatumque sensitivarum cum animae substantia identitatem, nequit historicus cognitionem rei singularis per intellectum separare ab illa per sensum. Sensuum enim actio nequiret esse completa, quin intervenerit intelligentia, quo fit ut ambae partes in percipienda re sensibili extra intime cooperentur.

Igitur Scoto perceptio rei actualis sensibilis extra per sensus : 1. Est « seminarium et origo omnis scientiae » ; 2. Perficitur non solum intentionaliter, sed contactu psychico, quapropter vocat eam Scotus « experimentativam » [1]. Cum autem lectori haec jam innotuerint, ubi de cognitione singularis per sensus egimus, jam ad intellectum accedamus.

Intellectus vitae sensitivae proximus sensibus eorumque organis functionibusque adest, et quidem substantialiter adest, itemque ceu « principium perfectivum » in cognitionis sensitivae ditione adest [2]. Propter hanc entitative proximam viciniam Scotus intellectum in cognitionem sensitivam, prae caeteris in tactum introduxit, ubi parem cum sensibus exterioribus actualitatem exerceat intellectus ad rem sensibilem percipiendam, atque hoc quidem modo : Percipit immediate intellectus eandem sensationem, qua sensus particularis externusve rem sensibilem percipit, atque in hac sensatione perque eandem intellectus ipsammet rem attingit singularem [3].

Hoc solo in perceptione hac intellectus differt a sensibus,

[1] *Rer. Princ.*, q. 13, art. 3, n° 40 ; *Ibid.*, n° 37.

[2] « Intellectus praesens est omnibus sensibus, et organis eorum per influentiam, per substantiam, et etiam in ratione perficientis sub ratione cognitivi. » *Rer. Princ.*, q. 13, art. 3, n° 32.

[3] « Intellectus... directe eamdem actualitatem, ut est in sensu, attingit ; pro eo quod apprehendit directe ipsam sensationem seu motionem, quam facit sensibile ut praesens, et actu existens in sensu particulari, et in illa et per illam, quae non potest esse nisi a sensibili praesente, actu cognoscit actualitatem sensibilis extrinseci. » *Rer. Princ.*, q. 13, art. 3, n° 37.

quod dum hi experiuntur ille cognoscit tantum. Quoad cognitionem vero, quod nostra specialiter hic interest, discrimen nullum [1].

Igitur in re sensibili cognoscenda, intellectus sensusque uniuntur adeo, ut ille, quamquam universalis potentia, contrahatur, determineturque per sensum particularem externumve : tum organo, tum actione tenus.

a) *Organo tenus*, quia in organo fit sensatio, a qua cognitio intellectiva sic pendet, ut cum cessante illa haec quoque cesset. Exempli gratia : donec aspicio hoc album, intellectus dicere potest : hoc album existit. At simulac oculos clausi jam nequit existentiam albi affirmare intellectus, quod destrui aut annihilari potuerit. Itaque cognitio intellectiva exerceri potest tantum stricta intellectus cum organo percipiente junctione, ubi de singulari agitur. At longe aliter de universali, quod intellectus in seipso perque seipsum cognoscit [2]. « Actio intellectus (in cognitione rei sensibilis extra) est organisata » ait Scotus [3].

b) *Actione tenus*, quae (in cognoscenda re sensibili extra) numerice eadem est, licet duobus quodammodo fontibus : ex

[1] « Sensus cognoscit, et experitur hujus (rei sensibilis extra) actualitatem, intellectus autem solum cognoscit... Sensui particulari... debetur modus agendi, qui non debetur intellectui, sed non alius quantum ad cognitionem qua uterque hanc actualitatem cognoscit. » *Rer. Princ.*, q. 13, art. 3, nº 37, 38.

[2] « Impossibile est, quod intellectus intelligat, et cognoscat actualitatem alicujus particularis sensibilis extra, nisi sensus particularis actu cognoscat, et apprehendat illud extrinsece. Hoc enim patet manifeste per experientiam. Si enim video aliquod album actu, intellectus potest dicere, hoc album actu est : sed si claudam oculum et desinat, visio, nullo modo possum scire utrum, illud album actu sit, quia possibile est ipsum esse corruptum vel annihilatum... ergo... necesse est, quod actio intellectus contrahatur et determinetur dum cognoscit actualem existentiam rei sensibilis extra. Et intelligo hanc determinationem, et contractionem primo ex parte organi, nam intellectus in cognoscendo veritatem, vel rationem universalis, non cognoscit eam in pede, nec in aure, sed in se, et per se absque determinatione ad aliquod organum : sed dum intelligit esse actuale extrinsecum hujus rei sensibilis, singulariter contrahitur ad organum, non quod utatur organo sicut virtus visiva, sed non cognoscit ipsum, nisi ut est sub sensu, seu in ipsa sensatione. » *Rer. Princ.*, q. 13, art. 2, sect. 1, nº 21.

[3] *Ibid.*, nº 23.

intellectu videlicet et sensibus scaturiat, quia experientia teste, ad cognitionem generandam coniugium inviolabile intellectum inter et sensum exigitur [1].

Organo atque actione determinatus contractusque intellectus cessat esse universalis fitque particularis. « Dum cognoscit et intelligit, ait Scotus, actualem existentiam rei sensibilis extrinsece, particularizatur [2]. »

Quid ergo mirum si particularizando se intellectus amittit jus suum, potentiae nempe superioris, jus denominandi a se actionem suam ; perceptio ergo actualis rei sensibilis extra, etiamsi intellectus quoque opus, nihilominus sensatio potius, quam intellectio denominatur [3].

§ 5. Quos effectus produxerit Scoti de cognitione intellectuali singularis doctrina ?

Aquinatis de cognitione reflexiva intellectuali singularis doctrina, essentialem inter intellectualem atque sensitivam cognitiones differentiam fixit ; itaque cognitionibus essentialiter differentibus, utpote : sensitivae et intellectuali objecta sunt essentialiter distincta : singulare et universale.

Quod non contingit Scoto. Etenim cum Thoma sustinet

[1] « Est etiam haec determinatio et contractio respectu operationis... actio intellectus quamvis sit universalis, ut tamen coniungitur actioni sensus, ut dictum est, in praedicta (actualis existentiae rei sensibilis extra) cognitione contrahitur, et efficitur una numero cum ea... est una actio sensus et intellectus in praedicta apprehensione actualitatis existentiae rei, quia actio intellectus circa hujusmodi existentiam rei actualem, non potest a sensu particulari separari. » *Rer. Princ.*, q. 13, art. 2, sect. 1, n° 22 ; *Ibid.*, art. 3, n° 39.

[2] *Rer. Princ.*, q. 13, art. 2, sect. 1, n° 20.

[3] « Actio intellectus quamvis sit universalis, ut tamen coniungitur actioni sensus in praedicta (actualis existentiae rei extra) cognitione contrahitur et efficitur una numero cum ea, a sensus actione denominata, ut magis dicatur sensatio quam intellectio. » *Rer. Princ.*, q. 13, art. 2, sect. 1, n° 22. « Sensitiva actio non specificat intellectum, nisi solum respectu illius ad quod aspicit sola sensatio, quae est solum apprehensio actualitatis existentiae rei extrinsecae, et respectu hujus termini actio sensus, cui adjungitur actio intellectus, est una actio numero, et ideo denominatur sensatio et non intellectio. » *Ibid.*, art. 3, n° 39.

universale objectum intellectus esse directum, contra vero singulare sensibile quoque ab intellectu directe cognosci posse. At quid tunc hinc intellectivam interest et sensitivam cognitionem ? inde vero materiam inter et spiritum ? Hic nodus, quem ipsemet apprime sensit Scotus, quemque identidem scindere conatus haud scidit.

Difficultas nostra in Scoti mente formata sic praesentatur : Singulare materiale unâne sensui et intellectui cognoscatur specie sensibili nimirum, an duabus diversis ; sensui sensibili, intelligibili intellectui, videlicet naturae cognoscentis cujusque propriis ?

Ambigit nec usquam scriptorum suorum per certam definitamque respondit sententiam. Inclinat enim nunc magis in unam speciem eamque sensibilem, adeoque intellectum per hanc cognoscere singulare, ut legimus ex. gr. « In universam Logicam quaestionibus » [1] quibusdam locis in opere de « Rerum Principio » [2], denique uno loco in « De Anima » opere [3], nunc magis in duas ; sensui sensibilem speciem, intelligibilem intellectui, adeoque per hancce solam intellectum cognoscere singulare, ita in Oxoniensi [4].

Tandem in sui De Anima operis quaestione 22 [5] ambabus haesitationibus juxta positis lectori optionem dat. Addit attamen intellectualem singularis cognitionem artis instar simulare naturam. Sed haec primo non universale, sed in supposito essentiam seu individuum vagum, secundo speciem, tertio demum individuum signatum vel determinatum producit. Statuarius pariter primo quidem sculpet vagum, quod vix aut ne vix quidem humanam memoret figuram, dein paulatim praecidendo ligno lapidive hominem induet, demum magis magisque poliendo Socratem spectatorum oculis objiciet mirantibus.

Talis artifex intellectus humanus orsus a vago, natura nimirum communi — quatenus in supposito existente — ab hoc primo cognitionis gradu scandit secundum : naturam videlicet absolute spectatam — quatenus ab individuantibus notis liberam —, denique tertium ultimumque gradum : individuum signatum ex. gr. Socra-

[1] L. I, *Perihermenias*, q. 2, n° 9.
[2] Quaest. 13, art. 3, n° 41 et 37 ; Quaest. 14, art. 3, n° 39.
[3] Quaest. 17, n° 13.
[4] L. I, d. 39, q. 6, n° 12 et 22.
[5] A, n° 8, usque ad finem quaestionis.

tem unum hominem, album, crispum, longum, etc., scandit — quatenus naturam absolute notam reflectendo individuantibus determinavit notis [1]. Per hos tres gradus, opinante Scoto, evolvitur perficiturque cognitio intellectualis singularis aeque, si speciem intelligibilem quis sensibilemve instrumentum cognitionis intellectualis intuitivae singularis admiserit [2].

Haud satis aenigmatum ! Nam novum surgit ! Concesso intellectum singulare cognoscere per solam intelligibilem speciem, num universale necnon singulare cognoscit per duas diversas species intelligibiles ?

Respondet Doctor Subtilis : Singulari per speciem intelligibilem cognito, intellectus universale quoque per eamdem speciem cognosceret, quam successive aliter aliterque consideraret, nam successive praesentaret species ista naturam primo quidem in

[1] Primus gradus est cognitio intellectualis intuitiva singularis. Secundus-abstractiva. Tertius-ipsamet Aristotelicorum idea singularis.

[2] « Si non ponamus speciem in intellectu, sed tantum in phantasmate, sicut natura in agendo non intendit universale... nec primo intendit singulare signatum... sed primo intendit producere naturam in aliquo supposito, et hoc est individuum vagum, sic repraesentando species in phantasia, primo repraesentat singulare vagum, secundum quod primo fertur cognitio intellectus. Et hoc patet, quia aliquando intelligimus aliquod singulare ignorato in qua specie sit ; secundo repraesentat naturam absolute, quando scilicet intellectus fertur in naturam non considerando ejus singularitatem. Tertio, reflectendo considerationem naturae ad circumstantias signatas, et ipsam per ipsas determinando, individuum signatum possumus intelligere, quia est hic et nunc, et in tali figura, et magnitudine, etc.... Si vero ponamus speciem in intellectu, dicendum quod hujusmodi species duplicem singularitatem habet ; unam a subjecto, quia est in intellectu singulari, et hanc semper habet ; et aliam ab objecto, a quo imprimitur saltem primo, licet per operationem intellectus agentis abstrahatur a conditionibus individuantibus : et sic primo repraesentat naturam in individuo vago, quia illud se primo offert intellectui ; secundo, naturam absolute ; tertio, ipsam intellectus determinat, addendo sibi circumstantias singulares praedictas, et sic intelligit singulare signatum, non sub ratione propriae singularitatis, ut dictum est. Quod tali ordine fiat cognitio in intellectu patet per praedicta, quia si ars, et cognitio intellectualis imitatur naturam... Dictum est autem quod natura primo intendit individuum vagum ; secundo, naturam in ipso ; tertio individuum signatum, quia est terminus generationis ; ergo talis erit modus intelligendi, sive species ponatur in intellectu, sive non. » *De Anima*, q. 22, nº 8, 9.

supposito, dein abstractam, denique circumstantiis particularibus designatam.

Accepto autem, addit Scotus, intellectum cognoscere singulare per speciem sensibilem, « potest dici » per hancce universale pariter simul cognoscere [1].

Sed cuncta illa redundant periculis : Quodsi sensibus et intellectui objectum idem, nimirum singulare materiale modo materiali, per speciem nempe sensibilem, ab intellectu perceptum, imo si universale per speciem sensibilem pariter percipi cognoscique quit, ut Scotus vult, quid jam intererit inter intellectu cognoscere et percipere sensibus ? Patent bifores sensismo ! Nec dubitavit Vacant Scoto sensualismi labem inspergere [2]. Superest alia quaestionis facies. Excogitavit Scotus cognitionem directam intuitivam intellectualem scientiae opitulaturus. At quo successu ? Infelici prorsus. Nam metaphysicam labefactando pessumdedit scientiam.

Ineunte saeculo XIV, quo posterior vitae pars incidit Scoti, exarsit pugna circa abstractivam adeoque metaphysicam cognitionem, quum haec illi supersedeat velut fundamento. Atqui cognitio abstractiva maxime periclitabatur cognitione singularis intellectuali directa, quippe hac admissa, illa scienter probari nunquam posset. Nam semper redibit quaestio num intellectualis cognitionis objectum ab illo differat sensitivae.

Quod si inter objecta discrimen scienter non valebimus demonstrare, neque unquam inter ipsas demonstrabimus cognitiones : abstractiva adeoque metaphysica cognitione per sensitivam absorpta.

Itaque ex admissa cognitione singularis sensibilis intellectuali directa videtur Occamus, licet in caeteris oppugnarit Scotum, fatali logica deduxisse suam speciei intelligibilis, abstractionis, universalium adeoque metaphysicae negationem.

[1] « Dicendum quod per eamdem speciem, aliter tamen consideratam intelligimus singulare et universale, quia illa species primo repraesentat naturam in aliquo supposito ; secundo naturam absolute ; tertio autem cum designationibus particularibus circumstantionantibus naturam, et singulare signatum, et sic patet solutio quaestionis. Vel potest dici, quod si intellectus non indiget nisi specie, quae est in phantasmate, per speciem singularis intelligitur universale. » *De Anima*, q. 22, nº 10 ad 4^um.

[2] Vacant, *Opus cit.*, p. 147, 148.

Solus ergo St. Thomas fatendus est, cognitione sua intellectuali reflexiva singularis sensibilis, metaphysicam adeoque scientiam efficaciter tutari.

2° De cognitione abstractiva.

Duns Scotus, admittens singulare materiale ab intellectu directe cognosci posse, affirmat quoque, cum Aristotele concordaturus, intellectum a sensitivis potentiis secerni operatione sua propria, scilicet : intellectione universalis. « Intellectus, ait ipse, est potentia distincta a potentia sensitiva propter intellectionem universalis. » [1]

Igitur tantum cognoscit universale, quantum rebus sensibilibus abstrahit.

Cognitio proinde universalis est abstractiva, perficiturque actibus duobus : priore (« primo »), quem intellectus agens exercendo speciem intelligibilem ex phantasmate producit, altero (« secundo »), quem intellectus possibilis exercendo ipsam perficit intellectionem [2].

Criticorum, quicunque cognitionem Scoti abstractivam tractaverunt, nullus amborum actuum theoriam discussit, quamquam hac ignorata illa intelligi nulli potest. Quum autem in ambobus actibus illis obvient nobis : phantasma, species intelligibilis, intellectus agens et possibilis, prius quid singula, juxta Scotum, sint explicandum.

a) De phantasmate.

1. *Fontes.*

Ex professo : 1 Oxon., d. 3, q. 6, a. n° 27 ad n° 30 ; De Anima, q. 18.

Obiter : 1 Oxon., d. 3, q. 3, n° 24 ; *Ibid.*, q. 6, n°s 15, 16, 19 ; 2 Oxon., d. 3, q. 11, n° 9 ; 2 Oxon, d. 3, q. 8 ; *Ibid.*, d. 11, q. 1 ; 3 Oxon., d. 10, q. 3 : ad ultimum ; De Anima, q. 17 ; Quaest. Subtil., l. VII, q. 18 ; Rer. Princ., q. 14, art. 2, n°s 22, 23 ; *Ibid.*, q. 15, n° 26 ; 1 Paris., d. 3, q. 5.

[1] 1 *Oxon.*, d. 3, q. 6, n° 5.

[2] « Dico quod duplex est actus intellectus respectu objectorum, quae non sunt praesentia in se, qualia sunt illa, quae modo naturaliter intelligimus. Primus actus est species, qua objectum est praesens ut objectum actu intelligibile. Secundus actus est ipsa intellectio. » 1 *Oxon.*, d. 3, q. 8, n° 3.

2. *Notio phantasmatis ejusdemque ad cognitionem abstractivam necessitas.*

Phantasma, imago per phantasiam picta, praesentat animae rem sensibilem extra. Quum autem res sensibilis extra metaphysice constet natura communi et singularitate, phantasma quoque hanc utramque repraesentat [1].

Phantasma cognitioni intellectuali verbis indubiis adstruit necessarium Scotus : non soli speciei intelligibili producendae (actui primo), sed huic productae jam comitandae, dum haec cum intellectu possibili concurrit ad ipsam intellectionem (actum secundum) perficiendam. Inde celebris illa conversio ad phantasmata, quam tot Scholastici docuerunt : « Dico, ait Doctor Subtilis, quod talis est connexio istarum potentiarum, scilicet phantasiae et intellectus pro statu isto, quod nihil intelligimus in universali nisi cujus singulare phantasiamur ; nec est alia conversio ad phantasma nisi quod intelligens universale imaginatur singulare ejus, nec intellectus videt quod quid est in phantasmatibus sicut in ratione videndi, sed intelligens, quod quid est relucens in specie intelligibili, videt illud in suo singulari viso per virtutem phantasticam in phantasmate [2]. »

Hujus ad phantasmata conversionis necessitatem tuetur Scotus : primo quidem Aristotelis auctoritate [3] ; secundo Sancti Thomae argumentis duobus : *a*) Phantasiae organum laesum cogitandi vim, etiam post abstractionem, ligat [4] ; *b*) Difficilibus capiendis, imaginibus utimur objectorum exteriorum in phantasia

[1] « Sicut in singulari extra reservatur natura communis, et sunt in eo conditiones individuales, ut principia individuantia, sicut in Socrate est humanitas et Socrateitas ; sic in phantasmate ipsius repraesentantur natura communis et singulare. » *De Anima*, q. 17, nº 13.

[2] 1 *Oxon.*, d. 3, q. 6, nº 19.

[3] « ... in actu intelligendi oportet intellectum converti ad phantasmata, et quod oporteat converti dicit Philosophus 3, *De Anima*, dicit enim quod quidquid intelligimus, necesse est simul phantasmata speculari. » 1 *Oxon.*, d. 3, q. 6, nº 27.

[4] « Intellectus est potentia non organica, tamen impeditur actu suo, laeso organo phantasiae ; igitur ad actum intelligendi requiritur actus phantasiae. » *De Anima*, q. 18, nº 1 ; 1 *Oxon.*, d. 3, q. 6, nº 27 ; 1 *Paris.*, d. 3, q. 5, nº 12. – Compara cum argumento S. Thomae in *Sum. Theol.*, p. 1, q. 84, a. 7, in corp.

pictis. Apparet inde quanti momenti sint phantasmata doctoribus, haud minus quam discipulis docendis [1].

3. *Rationes, quarum ergo intellectus ad intelligendum phantasmate necessario indiget.*

Affirmatae necessitatis ad phantasmata conversionis perdifficile est Scoto rationem dare. Dat autem in opere Oxoniensi [2]. Vertit se ad phantasmata intellectus propter suae activitatis cum illa phantasiae conformitatem, eamque analogicam cum conformitate sensus particularis ad sensum communem. Ut sensus communis agere nequit nisi prius agente sensu particulari, sic intellectus agere nequit, nisi prius agente phantasia.

At maior philosophus fuit Duns Scotus, quam ut rationem hanc non senserit insufficientem ! quum intellectum inter phantasiamque conformitas super ipsa phantasmatis stet necessitate. Quaerit proinde aliis locis num necessitas conversionis ista existat positiva voluntate Dei vel nostra infirmitate vel poena peccati originalis sequela [3]. Praefert rationem a peccato provenientem originali, quamque sic corroborat : ante peccatum originale anima, corporis domina omnino, potuit sine phantasmate intelligere ; in altera vita anima a corpore separata minus etiam indiget phantasmate ad intelligendum, imo post resurrectionem non indigebit. Constat itaque hominem nunc in terra solummodo viventem conversione ad phantasmata indigere. Inde duo concludit : 1. conversionem ad phantasmata non esse essentialiter necessariam ad intelligendum ; 2. indigentiam conversionis hujus sequelam esse peccati originalis vel alicujus pertinentis ad culpam [4].

[1] « Quando aliqua intelligere volumus, formamus nobis idola in phantasia per aliqua exteriora, et tunc facilius intelligimus, sicut patet in docente discipulum, proponente exempla sensibilia. » *De Anima*, q. 18, nº 1. — Compara cum St. Thoma, ut supra.

[2] 1 *Oxon.*, d. 3, q. 6, nº 28.

[3] 1 *Oxon.*, d. 3, q. 3, nº 24 ; 4 *Oxon.*, d. 45, q. 1 ad 3 ; *De Anima*, q. 18.

[4] « Non est contra rationem actus intelligendi intellectus nostri absolute intelligere sine phantasmate, quia tunc recursus ad phantasmata esset necessarius animae separatae ; nec contra rationem ejus, ut est corpori unitus absolute, quia hoc etiam esset necessarium sibi unito corpori glorioso post resurrectionem quod falsum est ; nec contra rationem ejus, ut viator est, vel conjunctus corpori in via, quia hoc etiam esset necessarium

Hic auctoritatem appellat Scotus Augustini, quocum semper satagit concordare ; atque affirmat Aristotelem rationem ex culpa non allegare, quod ignoraverit peccatum originale [1].

Quidquid id est, videmus Scotum in astruenda conversionis ad phantasmata ratione difficultates invenisse, quas ignorat Thomas, quippe cui objectum proprium intellectus essentiae sunt rerum sensibilium, quae cum non ut tales per se, sed in individuo existant, in individuo ab intellectu cognoscuntur et quidem ad phantasmata conversione. Sic conversio ista explicatur probaturque simul [2].

Thomae de proprio intellectus objecto doctrinam respuit Scotus, quia eandem — ut vidimus — prospiciebat in ordine supernaturali situs, adeoque conversionis ad phantasmata rationem a Thoma propositam cum aliqua in ordine supernaturali, id est revelationis, quaesita inventaque : peccati originali culpa, necessario mutavit.

homini in statu innocentiae, qui tunc fuit viator ; hoc autem est falsum, cum anima ejus, quantum ad actum ejus proprium, in nullo fuisset corpori subjecta, sed super ipsum... habuisset plenum dominium, ita quod potuisset intellexisse sine phantasmate, vel cum phantasmate, sicut sibi placuisset ; sed dicunt quod necessitas recurrendi ad phantasmata est nobis inflicta propter peccatum. Unde sequitur ad ignorantiam nobis inflictam, et hoc juste... » *De Anima*, q. 18, nº 4. « ... ex culpa, vel ex isto statu propter aliquid pertinens ad culpam. » 2 *Oxon.*, d. 11, q. 1.

[1] « ... et haec est sententia beati Augustini, in pluribus locis... Aristoteles autem quia nihil scivit de peccato illo, et invenit naturam taliter dispositam, procedens ex sensu tantum, credidit hoc nobis esse naturale sicut intelligitur. » *De Anima*, q. 18, nº 4.

[2] « Intellectus... humani... proprium objectum est quidditas sive natura in materia corporali existens... De ratione autem hujus naturae est quod in aliquo individuo existat, quod non est absque materia corporali ; sicut de ratione naturae lapidis est quod sit in hoc lapide, et de ratione naturae equi est quod sit in hoc equo, et sic de aliis. Unde natura lapidis, vel cujuscumque materialis rei, cognosci non potest complete et vere, nisi secundum quod cognoscitur ut in particulari existens. Particulare autem apprehendimus per sensum et imaginationem : et ideo necesse est ad hoc quod intellectus actu intelligat suum objectum proprium, quod convertat se ad phantasmata, ut speculetur naturam universalem in particulari existentem. » *Sum. Theol.*, p. 1, q. 84, a. 7.

b) De specie intelligibili.

1. *Fontes :*

1. De Anima, q. 17 ; 2. De Rerum Principio, q. 14, art. 1, 2, 3 ; 3. 1 Oxoniensis, d. 3, q. 6 ; 4. 1 Parisiensis, d. 3, q. 4 et 5, ubi, cognitioni abstractivae quam necessaria sit species intelligibilis, ex professo tractat. Tractat autem longe fusius quam reliqua cognitionis problemata, sed methodo privis auctori laborante defectibus, utpote ; prolixitate, obscuritate quibus favet farrago argumentationum refutationumque in adversarios sat numerosos argumentaque eorundem.

Nos quidem in id incubuimus, ut ideas Doctoris Subtilis fundamentales praesentaremus, neve auctoris cum adversariis numerosis implicaremur disputationibus.

2. *De speciei intelligibilis notione ejusdemque in cognitione abstractiva necessitate.*

Speciem intelligibilem tenet Scotus esse terminum actus primi cognitionis abstractivae : concursu quodam phantasmatis cum intellectu agente, productum, eamque instrumentum intellectui possibili actum secundum cognitionis abstractivae perfecturo necessarium, quatenus nempe species, forma quaedam intellectualis, objectum, cum eodem intellectu possibili ad actum secundum perficiendum concurrens, praesentat.

Utrobique species intelligibilis quidditatem rei, seu naturam communem solam, utpote sine « haecceitate », imaginat.

De speciei intelligibilis, in cognitione abstractiva necessitate Scotus haud constat sibi. In opere De Anima argumentis pro necessitate speciei intelligibilis aliis contra hance adjectis, lectori optionem dat : « Tene, inquit, quam partem volueris ; prima tamen videtur verior [1]. »

In opere De Rerum Principio laxam post discussionem jam ad necessitatem vergit [2].

Indubius prorsum pro necessitate speciei intelligibilis optavit in duobus operibus : Oxoniensi nempe et Parisiensi, ubi multis propugnat [3].

[1] Quaest. 17, nº 16.
[2] Quaest. 14.
[3] Lib. I, dist. 3, quaest. 6 ; lib. I, dist. 3, quaestionibus 4 et 5.

3. *Quomodo Scotus probet speciei intelligibilis, in cognitione abstractiva, necessitatem ?*

Speciei intelligibilis necessitatem probaturus declarat Scotus — quod momenti est maximi — supersessurum se problemati de cognitione singularis materialis intellectuali directa, quod caeteris philosophis, iis praecipue, qui solum universale objectum intellectus directum esse admittunt, par, hac via sit processurus : Quum primo intellectus objectum sit universale, quum secundo ejusdem objecti intelligibilis sit praecedere intelligendi actum, universale praecedere nequit nisi in specie intelligibili [1].

Nunc plura dat argumenta probandae speciei intelligibilis necessitati « primo ex parte universalitatis objecti. Secundo ex parte praesentiae » [2].

1° Ex parte universalitatis objecti.

a) Ex singulari per phantasma praesentatione. Intellectus ut objectum suum, quod universale est, intelligere possit, ei hoc qua universale praesentetur oportet. Atqui qua universale non in phantasmate, quod singulare tantum praesentat, sed in specie intelligibili tantum intellectui objici potest. Ergo in specie intelligibili praesentatur [3].

[1] « Sive intelligatur singulare sive non, non est cura ad propositum ; certum est enim quod universale potest ab intellectu intelligi, et magis ponitur a Philosophis, quod intellectus est potentia distincta a potentia sensitiva propter intellectionem universalis, et propter compositionem et divisionem, et propter syllogizationem quam propter cognitionem singularis, si posset intelligere singulare. Ex hoc igitur manifesto, quod intellectus potest intelligere universale, accipio hanc propositionem. Intellectus potest habere objectum actu universale, perfecte sibi praesens in ratione objecti prius naturaliter quam actu intelligat ; ex hoc sequitur propositum, quod in illo priori habet objectum sibi praesens in specie intelligibili, et ita habet, speciem intelligibilem priorem actu. » 1 *Oxon.*, d. 3, q. 6, n° 5.

[2] *Ibid.*

[3] « Species ex hoc quod talis species habet talem rationem repraesentandi, et hoc respectu objecti sub tali ratione repraesentabilis ; ergo eadem species manens, non habet duas rationes repraesentativas, nec est respectu duarum rationum repraesentabilium. Sed repraesentare objectum sub ratione universalis et singularis, requirit duplicem rationem repraesentativam, et est respectu duplicis rationis repraesentabilis formaliter ; igitur idem manens idem non repraesentat sic et sic ; ergo phantasma quod de se repraesentat objectum sub ratione singularis, non potest ipsum repraesentare sub ratione universalis. » *Ibid.*, *De Anima*, q. 17, n° 3 ; 1 *Paris.*, d. 3, q. 4, n° 1, 2, 3.

b) Ex termino actionis intellectus agentis. Intellectus agentis, quia potentiae activae inextensaeque, terminus realis in potentia inextensa locandus. Atqui phantasia potentia extensa est, dum intellectus possibilis potentia est spiritualis. Ergo terminus realis intellectus agentis in intellectu possibili locandus, et quidem per speciem intelligibilem [1].

c) Ex communioris ad minus commune indifferentia. Communius, ad minus commune indifferens, ceu tale aliquo concipiendum est. Atqui universale, indifferens ad singulare, phantasmate, singulare dumtaxat praesentante, concipi nequit. Ergo specie intelligibili concipiendum est [2].

2° Ex parte praesentiae objecti in intellectu.

a) Propter separabilem a corpore animam. Intellectus si objecto suo gauderet praesente in phantasia, ab hacce penderet et operans et existens. Atqui intellectus ipsamet est anima. Ergo ipsamet anima penderet a phantasia, adeoque a corpore ; quo fieret, ut a corpore separata anima intelligere, quinimo vivere omnino nequiret [3].

b) Propter perfectionem, qua caeteras potentias cognoscitivas superat intellectus.

[1] « Intellectus agens est potentia mere activa secundum Philosophos... omnis autem actio realis habet aliquem terminum realem... ; ille autem terminus realis non est in phantasmate, quia intellectus agens nihil causat in phantasmatibus, quia illud receptum esset extensum... ergo est in intellectu possibili... ergo... actio intellectus agentis terminatur ad formam aliquam realem in existentia... » 1 *Oxon.*, d. 3, q. 6, n° 8 ; *De Anima*, q. 17, n° 4 ; 1 *Paris.*, d. 3, q. 4, n° 4.

[2] « Quodcumque universale conceptum in singulari, vel communius in minus communi, non concipitur secundum totam suam indifferentiam. Potest autem intellectus concipere illud secundum totam suam indifferentiam ; ergo non concipitur praecise communius in minus communi, vel universale in singulari ; et ita non praecise concipitur universale in phantasmate, phantasma enim non est propriae nisi ipsius singularis. » 1 *Oxon.*, d. 3, q. 6, n° 9 ; *De Anima*, q. 17, n° 5 ; 1 *Paris.*, d. 3, q. 4, n° 6.

[3] « Si non requiritur ad intelligendum species in intellectu, sed in phantasmate tantum, intellectus noster non habet operationem separabilem a corpore in quo est phantasma, quia habet organum, et si non habet operationem separabilem, ipse non est separabilis a corpore. » *De Anima*, q. 17, n° 5 ; 1 *Oxon.*, d. 3, q. 6, n° 10 ; 1 *Paris.*, d. 3, q. 4, n° 6.

aa) Quod perfectionis est inferiori potentiae concedendum est superiori. Atqui inferioribus potentiis hoc perfectionis est, ut quaeque suo praesentandi objectum gaudeat modo. Ergo intellectus quoque gaudet suo praesentandi objectum modo, videlicet speciei intelligibilis ope [1].

bb) Supposito speciem intelligibilem non existere, quod phantasia objectum intellectui praesentet, cogeretur intellectus objectum suum quaerere in phantasia, contingenter cum ipsò coniuncta, ab hacce penderet, adeoque imperfectus esset. Atqui imperfectio intellectus ut potentiae cognitivae, rejicienda. Ergo existit species intelligibilis objectum intellectui praesentans [2].

Argumenta haec : ex parte universalitatis objecti intelligibilis atque ex parte praesentiae objecti intelligibilis in intellectu ante actum intellectionis, in mente Scoti tam radicata sunt ut, sicubi de speciei intelligibilis necessitate agitur, citentur : in Oxoniensi, in Parisiensi, in « De Anima », in « De Rerum Principio », in quo ultimo opere argumenta modo negativo proponit Doctor Subtilis [3].

His ex ratione argumentis addit Scotus ex auctoritate : Aristotelis nempe et Augustini, ubicumque de speciei intelligibilis necessitate agit [4].

Ex universis, quae de speciei intelligibilis necessitate Scotus, gradatim ad certitudinem ascendendo, dixit, quaeque nos expo-

[1] « Cum hoc sit perfectionis in potentia cognitiva, scilicet posse habere objectum sibi praesens sub ratione, qua est objectum talis potentiae, sequitur quod intellectus non tantum potest habere objectum sibi praesens, quia praesens est virtuti phantasticae, sed propria praesentialitate, inquantum scilicet relucet intellectui per aliquod, quod est in intellectu. » 1 *Oxon.*, d. 3, q. 6, nº 11.

[2] « Intellectus, certum est quod non potest habere operationem nisi circa objectum sibi praesens, et per te (Henricus Gandavensis) non potest habere objectum praesens sibi nisi in virtute phantastica ; virtus autem phantastica contingenter conjungitur intellectui, inquantum potentia est ; igitur intellectus in operatione sua dependet ab illa potentia, cui contingenter conjungitur, et ita haec positio ponit in ea imperfectionem potentiae cognitivae. Nulla autem imperfectio est ponenda in aliqua natura, nisi necessitas appareat in tali natura ; ergo imperfectio talis non est ponenda in intellectu. » 1 *Oxon.*, d. 3, q. 6, nº 11.

[3] Q. 14, art. 3, nº 37.

[4] 1 *Oxon.*, d. 3, q. 6, nº 13 ; *De Anima*, q. 17, nº 2 et 13 ; 1 *Paris.*, d. 3, q. 4 ; *Rer. Princ.*, q. 14, art. 2, nº 17.

suimus, concludere fas est Doctorem Subtilem pro necessitate optavisse.

Jamvero, rationes Doctoris nostri trutinando, in ejusdem ore, haud inveniemus probantes, sed suadentes tantum. Re quidem vera, non latet lectorem Scotus speciei intelligibilis necessitatem probaturus, Aristotelis Thomaeque vestigiis inhaerendo, sic arguisse ac si solum intellectus directe cognosceret universale. At Doctor Subtilis, praeter universale et ante universale, singulare injunxit intellectui objectum directum, ideoque — sic sentio — argumentis solis ex : universalitate objecti intellectus et praesentia objecti universalis in intellectu ante actum intellectionis, necessitatem speciei intelligibilis apodictice, fidenti animo, non valuit probare.

Potuit Doctor Subtilis inopiae rationum probantium sibi conscius fuisse, siquidem problema nostrum discutiens, uno superius citato loco (in libro De Anima), anceps haesit.

Ac nostra opinione Scotus necessitatem speciei intelligibilis consequentior negasset, propter suam intellectualem singularis materialis cognitionem.

c) Intellectus agens et possibilis.

De neutro ex professo, sed per occasionem agit Scotus : ubi de specie intelligibili deque actibus intellectus primo secundoque.

De intellectuum agentis et possibilis necessitate, muneribus, relationibus inter se.

Intellectuum agentis possibilisque necessitatem Scotus, Aristotelem imitatus, probat intellectus humani universalium capacitate ; nam, ut universale, quod rebus formaliter nusquam inest, in mente vigeat, duabus potentiis fit : activa, quae rebus extrahat universale potentiale ; passiva, quae extractum recipiat. Atqui sunt reapse : activa potentia — intellectus agens ; passiva — possibilis ille [1].

[1] « In omni autem natura, ut arguit Aristoteles, in 3 *De Anima*, text. com. 17 et 18, est dare aliquid, quo est omnia facere, dato aliquo, quod est omnia fieri, hoc est in tota natura universali, cuilibet potentiae passivae correspondet potentia activa... ergo cum experiamur, quod est aliquis

Pergit Scotus Aristotelis auctoritate tueri quaecumque de intellectibus agente possibilique affirmat, etiam ubi platonizans a Stagyritae mente aliena prorsum profert.

Igitur fungitur intellectus agens actu primo cognitionis abstractivae ; speciem intelligibilem producendo. Dicitur agens, quod universale ex potentia in actum transferat [1]. Atque in his concordat Scotus Thomae Aristotelem secuto.

Discordat vero super modum concipiendi universale metaphysicum virtuale, ut hoc uno jam loco [2] notavimus, ac super modum operandi intellectus agentis in actu primo, quatenus ei, platonizando, adjudicat munus, quod nec Aristoteles nec Thomas, quia realistae, adjudicare possunt, de quo infra.

Fungitur intellectus possibilis actu secundo cognitionis abstractivae, ipsa videlicet intellectione [3]. Hic pariter concordat Thomae Aristotelem secuto.

Discordat vero intellectus possibilis patientiam explicando, ubi principiis platonicis ductus patientiam istam ad modum activitatis concepit, de quo infra.

Igitur intellectus agens patiensque Scoto duae ejusdem potentiae activitates invicem complentes, nec formaliter distinguuntur, quinimo una sunt eademque potentia [4].

intellectus in nobis, quo est universale fieri, hoc est, cui insit aliquid, per quod objectum est praesens, ut universale, necesse est aliquid esse activum illius... Intellectus igitur agens, etc. » *Quaest. Subtil.*, l. VII, q. 18, nº 8.

[1] « Operatio ejus (intellectus agentis) est facere intelligibilia in potentia actu intelligibilia ; fiunt autem intelligibilia aliquo actu per abstractionem speciei ; abstrahere igitur speciem est actus ejus et species intelligibilis abstracta terminus ejus. » *De Anima*, q. 17, nº 4.

[2] Vide : de cognitionis intuitivae intellectualis singularis materialis natura, eidemque cognitioni probandae argumenta.

[3] « ... ita intellectum habere intellectionem sive recipere, quod idem est, est ipsum (intellectum possibilem) esse intelligentem... » 1 *Oxon.*, d. 3, q. 7, nº 37. « Intellectus possibilis est causa totalis actus intelligendi. » *De Anima*, q. 17, nº 10.

[4] « Ergo si actio intelligendi requirit intellectum possibilem et agentem, non sunt duae potentiae, nec duae vires, agens et possibilis. » *De Rer. Princ.*, q. 14, art. 2, nº 16.

1° Actus primus vel abstractio proprie dicta.

§ 1. Fontes.

Ex professo : De Anima, q. 17, a. nº 8 ad nº 13 ; Quaestiones Subtilissimae, l. VII, q. 18, a. nº 8 ad 10.

Obiter : Quaestiones Quodlibetales, q. 15 ; 1 Oxoniensis, d. 3, q. 7 et 8 ; De Anima, q. 12 ; De Rerum Principio, q. 14, art. 2.

Scoto actus primus idem quod Thomae : abstractio speciei objectum intelligibile praesentantis : « Primus actus (intellectus), ait Doctor Subtilis, est species, qua objectum est praesens ut objectum intelligibile » [1].

§ 2. Abstractionis notio.

Doctori Subtili abstractio « non est aliud, ut ipse ait, quam consideratio rei secundum unum modum, absque hoc quod consideretur secundum alium, ut considerare hominem, ut est homo » [2].

Igitur tantum abstrahit intellectus quantum solam naturam rei communem, accidentibus neglectis, considerat, vel, quod idem, quantum naturam communem ab haecceitate liberat [3].

Duplicem statuit Scotus abstractionem utpote : praecedentem imaginationis actum, sequentemque.

1. Abstractio praecedens actum imaginationis. Ex cognitione directa singularis sensibilis per intellectum logice deduxit Scotus hanc priorem abstractionem, quod intellectus ex perceptione sensus particularis abstrahere valeat universale, quippe qui ad sensum

[1] 1 *Oxon.*, d. 3, q. 8, nº 3.

[2] *Rer. Princ.*, q. 14, art. 2, nº 16.

[3] « Ibi est albedo universalis, ubi separatur a prohibente dici de multis, quia ibi non impossibile ; ergo possibile est hoc esse in intellectione, sibi enim intellectae non conjungitur differentia individualis, sibi in re conjungitur. » *Quaest. Subtil.*, l. VII, q. 13, nº 26. « Natura (communis) est indifferens ad unitatem singularem... est prius naturaliter omnibus istis (singularitatibus). Et secundum istam prioritatem naturalem est quod quid est, et per se objectum intellectus. » 2 *Oxon.*, d. 3, q. 1, nº 7. « Intellectus intelligit abstrahendo ab hic et nunc, hoc est, non secundum quod actualiter existens in natura, cujus existentiae conditiones sunt hic et nunc. » *Quaest. Subtil.*, l. VII, q. 13, nº 25.

descendit particularem, ut specie per hunc, et non per phantasiam formata cognoscat singulare. — Quatenus hac priore abstractione accepta, universale phantasmati praecedere possit, affirmat Doctor noster.

2. Abstractio actum imaginationis sequens. Hanc alteram abstractionem post Aristotelem cum Thoma sustinet Scotus. — Quatenus hac altera abstractione accepta versa vice phantasma universali praecedere debeat, affirmat Doctor Subtilis [1].

Etiamsi Duns Scotus ambas abstractiones in opere « De Rerum Principio » indubitanter ab invicem discrevit, illam imaginationis actui praecedentem nusquam vel tantulum tetigit, dum alteram imaginationis actum sequentem ubique tractat. Ergo hanc alteram discutiemus.

Abstractio actum imaginationis sequens Scoto tribus elementis perficitur :

1. Phantasmate, quod animae rem extra, id est, naturam communem cum haecceitate unitam praesentat ; 2. Intellectu agente et 3. Specie intelligibili, quae — tamquam effectus actionis intellectus agentis — naturam solam ab haecceitate liberam animae praesentat.

Psychologica parte productionis speciei intelligibilis ex phantasmate per intellectum agentem neglecta, Scotus, ut metaphysicus, elucidat problema hoc :

§ 3. Quae causa speciei intelligibilis producendae ?

Responsurus duabus theoriis oppugnatis opponit suam :

a) Theoriae oppugnatae.

[1] « Dico, quod naturali ordine intellectus primo apprehendit actualitatem existentis rei sensibilis, et ab ista potest abstrahere universale ante actum imaginationis ratione universalis. Secundo naturali ordine apprehendit actum imaginationis, et rem imaginatam, et ab isto potest abstrahere universale per considerationem, et sic sit verum, quod apprehensio universalis semper est posterior apprehensione particularis. Sed potest esse prior apprehensione particularis facta ab imaginativa, quia potest abstrahi ab ipso sensibili in sensu particulari... Et sic comparando intellectum ad imaginationem, aliquando cognoscitur universale prius quam particulare... Aliquando prius cognoscitur particulare, quod quidem fit, dum abstrahitur ratio universalis a phantasmate, seu a re particulari, ut est in imaginativa. » *Rer. Princ.*, q. 13, art. 3, nº 46.

Oppugnatarum theoriarum una est Goffredi [1] cujusdam, qui, juxta Scotum, sustinuerit speciem intelligibilem a phantasmate pari. Huic opponit Scotus argumenta duo sequentia :

1. Causam aequivocam effectus, nobilitate ac perfectione, superare nequit. Atqui superaret utique — quod absurdum esset — si species intelligibilis spiritualis effectus esset phantasmatis corporalis. Ergo [2].

2. Goffredi sequaces urserunt : intellectus agens, aiebant, reddit phantasma capax speciei intelligibilis efficiendae. Urgendo pariter replicuit Scotus : Intellectus nequiret reddere phantasma capax speciei intelligibilis efficiendae, nisi ei virtutem communicando, quae, quia phantasma corporale quid, corporalis deberet esse. Atqui nihil corporale reddere valet phantasma capax producendi spiritualis. Ergo [3].

Secundam, quae Thomae, opinionem oppugnat Scotus, utpote : speciem intelligibilem produci ab intellectu agente ceu causa principali, et a phantasia ceu causa instrumentali. Pugnat contra hanc opinionem Doctor Oxoniensis ob sequentes rationes :

1. Duae causae, ut unum effectum simul producant, oportet sint affines. Atqui intellectus agens — spirituale, phantasma — materiale : nequaquam sunt affines. Ergo [4].

2. Agens nobilius patiente. Atqui phantasma si modo quo-

[1] Auctorem istum non ipse Scotus, sed Commentator Scoti nominavit, v. p. 583, tom. III.

[2] « Agens aequivocum semper est nobilius passo ; sed phantasma... non est nobilius... specie... ergo, etc. Probatio majoris ; si est aeque nobile, tunc non est aequivocum ; similiter nec si imperfectius, quia non esset causa unde effectus esset nobilior et perfectior ; igitur est nobilius. Minor patet ; igitur, etc. » *De Anima*, q. 17, nº 8.

[3] « Quaero utrum per actionem intellectus agentis in phantasma aliquid praesentatum recipiatur in phantasmate, aut non. Si sic ; sequitur quod illud sit corporale, sicut phantasma recipiens, et extensum, et per consequens non poterit agere in intellectu possibili per actionem praedictam. Si nihil ; ergo phantasma per illam actionem non erit virtuosius ad agendum in intellectu possibili, cujus contrarium dicebant. » *Ibid.*

[4] « Inter duo agentia concurrentia ad unum effectum debet esse proportio, sed inter agens immateriale, et spirituale quod est intellectus agens, et corporale, quod est phantasma, non est proportio ; ergo, etc. » *De Anima*, q. 17, nº 10.

cumque ageret in intellectum, ut speciem intelligibilem producat, jam secundum illum modum esset intellectu patiente mobilius, quod absurdum. Ergo [1].

3. Ex Arabum theoria : sidera referunt se ad substantias separatas spirituales ut phantasma ad intellectum agentem ; imo licet substantiae separatae magis influant in sidera quam intellectus in phantasma, nequeunt nisi materialem parere effectum. Quanto minus intellectus agens influere valebit in phantasma speciem intelligibilem spiritualem productum [2].

b) Ipsius theoria Scoti.

Opinionibus Goffredi Thomaeque reiectis, suam ponit Scotus : « Intellectus agens, inquit, est totalis causa respectu speciei [3]. »

Licet quodam loco dicat, Magister Oxoniensis, tam cassum quaeri, cur intellectus agens solus intelligibilem producat speciem, quam cur ignis urat, nihilominus duas alibi allegat rationes :

1. Causa aequivoca, quia superior, totum virtualiter possidet effectum. Atqui intellectus agens causa aequivoca speciei intelligibilis. Ergo hanc totam virtualiter possidet, solaque producit [4].

2. Perfectius a fortiori potest efficere imperfectius, quam imperfectius efficere perfectius. Atqui intellectus agens perfectior

[1] « Activum, secundum quod agit, est nobilius passivo, in quantum patitur... Si igitur phantasma aliquo modo agit in intellectum possibilem, secundum id quo agit, est perfectius illo quo intellectus possibilis patitur : omne autem illud quod est in phantasmate est corporale, et omne illud quod est in intellectu possibili est spirituale ; igitur corporale est nobilius spirituali, quod falsum est. » *De Anima*, q. 17, nº 11.

[2] « Corpora coelestia magis obediunt substantiis separatis, quam phantasma intellectui agenti, et tamen mediantibus illis substantiae separatae non possunt nisi aliquod corporale producere ; igitur sic intellectus agens mediante phantasmate, vel ipso coadjuvante, non poterit speciem intelligibilem producere. » *Ibid.*

[3] *De Anima*, q. 17, nº 10 : « Intellectus... agens concurrens cum natura aliquo modo indeterminata ex se, est causa integra effectiva objecti in intellectu possibili secundum esse primum, et hoc secundum completam indeterminationem universalis. » *Quaest. Subtil.*, l. VII, q. 18, nº 6.

[4] « Causa aequivoca habens in virtute sua totum effectum, potest totum effectum producere in passo disposito, et hoc sufficit, quia plus non requiritur ad effectum quam quod est dictum, sed intellectus agens habet in virtute sua totali speciem intelligibilem... igitur sine phantasmate poterit illam speciem causare in intellectu possibili. » *De Anima*, p. 17, nº 10.

est intellectu possibili intellectionem, specie intelligibili perfectiorem, solo producente. Ergo a fortiori idem speciem intelligibilem solus producet [1].

Phantasma fructuum peccati originalis unus, juxta Scotum, excitat ceu causa accidentalis, conditio, occasio intellectum agentem, ut hicce ceu causa essentialis ex semet entitative producat speciem intelligibilem, secundum Aristotelicos in phantasmate entitative latentem.

Intellectus agens itaque speciem intelligibilem producere valet sine aeque ac cum phantasmate producere valet [2].

Argutiae hae plane et aperte sapiunt Platonem, qui sensibus et sensitivae cognitioni merae conditionis occasionisve partes in cognitione intellectuali perficienda addicit.

Ex dictis patet : Scotus, docens intellectum agentem causam totalem speciei intelligibilis esse, incidisse in idealismum, sensualismo Goffredi — docentis phantasma causam totalem speciei intelligibilis esse — oppositum.

Inter quos duos medius incedens divus Thomas, abstractionis theoria sua, salvat cognitionis objectivitatem. Sancto Thomae speciem intelligibilem productum concurrunt intellectus agens phantasmaque simul. Ille ut causa principalis, hoc ut causa secunda instrumentalis. Ex phantasmate trahit intellectus speciem intelligibilem latentem, ita ut illo deficiente haec pariter deficiat.

Intellectus agens nempe producit speciem intelligibilem ipse, non autem a phantasmate determinatus, illustrando in phantasmate formam repraesentativam rei, ita ut haec eadem forma, quae in phantasmate virtualiter physice latebat, in specie intelligibili immaterialiter appareat. Propter eandem itaque utrinque

[1] « Si causa imperfectior esset totalis causa perfectioris effectus, multo fortius causa perfectior est talis causa respectu imperfectioris ; sed intellectus agens est perfectior, et nobilior intellectu possibili, ut dicitur 3 *De Anima*, text 19, tamen intellectus possibilis est causa totalis actus intelligendi, qui est perfectior effectus specie intelligibili ; igitur multo fortius intellectus agens est totalis causa respectu speciei. » *Ibid.*

[2] « Ipse (intellectus agens) continet in se totam virtutem phantasmatis respectu ejus (speciei intelligibilis), cum sit eo virtuosius ; igitur sine phantasmate poterit illam speciem causare in intellectu possibili. » *Ibid.*

formam, species intelligibilis idem objectum praesentat quod phantasma ; quod cognitionis objectivitati supremi momenti est.

Nec quidquam contra Thomae theoriam valent argumenta Scoti. Intellectus enim agens Thomae nullam physicam in phantasmate mutationem facit, sed propter substantialem animae cum corpore unionem, proinde, propter unam tam spiritualium quam corporalium processuum in homine conscientiam, capax declaratur formae rei immateriali, quae in phantasmate materialiter existit, essendi modum immaterialem dandi [1].

Igitur Scotus et S. Thomas, cognitionis abstractivae actum primum concipientes, tantum discordant quantum, quos aemulantur, philosophi : Plato et Aristoteles.

2° Actus secundus vel ipsa intellectio.

§ 1. Fontes.

Ex professo : 1. Liber I Oxoniensis, distinctio 3, quaestio 7, ubi quaerit Duns Scotus : « Utrum pars intellectiva, vel aliquid ejus sit causa gignens, vel ratio gignendi notitiam actualem ? » 2. *Ibid.*, q. 8, ubi iterum quaerit : « Utrum principalior causa notitiae sit objectum in se, vel in specie, vel ipse intellectus ? » 3. Quaestiones Quodlibetales, q. 15. 4. De Anima, q. 12.

Scoto « secundus actus, ut ipse ait, est ipsa intellectio actualis » [2], qua notione Aristoteli concordat Thomaeque.

Actum secundum Scotus Thomasque docuere perfici speciei, objectum praesentantis, cum intellectu possibili subjecti concursu, quem tamen alius aliter explicabant, secundum principia philosophiae suae quisque.

[1] *De Veritate*, q. 10, art. 6 ; *Sum. Theol.*, p. 1, q. 84, art. 6 ; *Ibid.*, q. 85, art. 1 ; *Sum. c. Gentil.*, l. II, c. 60 ; *Ibid.*, c. 77 ; *De Anima*, q. 1, art. 5 ; *Quodl.*, VIII, a. 3 ; et alibi.

[2] 1 *Oxon.*, d. 3, q. 8, n° 3.

§ 2. De speciei intelligibilis cum intellectu possibili, actus secundi perficiendi causa, concursu juxta divum Thomam.

Ambo : species intelligibilis et intellectus possibilis concurrentes, secundum Thomam, pariunt intellectionem [1], et quidem hoc modo :

Conscii sumus nobis potuisse nos, antequam cogitavimus, cogitare : hoc aliudve. Ut autem cogitaremus, determinavit intellectum nostrum objectum specie sui eidem impressa. Intellectus inde patiens vel possibilis nuncupatus est.

Intellectus autem potentia vitalis est. Quapropter, quam patiendo exceperat speciem, eandem expressit agendo : speciem impressam fecit expressam, conceptum, ideam, verbum suum quo communicat sibi, quod ipse norat.

Cognitio itaque actualis efficitur concursu speciei intelligibilis ceu causae formalis et intellectus possibilis ceu causae efficientis [2].

Hac, extrinsecus introversus, ab objecto cognoscendo agente ad intellectum cognoscentem prius patientem dein reagentem, conceptione actus secundi, S. Thomas, Aristotelem aemulando, optime salvat objectivitatem intellectionis, quatenus extollit intellectus possibilis passivitatem, adeoque consequenter docet intellectionem quidditative pendere ab objecto ceu causa.

§ 3. De speciei intelligibilis cum intellectu possibili, actus secundi perficiendi causa, concursu juxta Duns Scotum.

Solet Doctor Subtilis ante suam alienas exponere opiniones, easdemque refutare.

[1] « Intelligens et intellectum, prout ex eis est effectum unum quid, quod est intellectus in actu, sunt unum principium hujus actus, qui est intelligere. » *De Veritate*, q. 8, art. 6.

[2] *Sum. c. Gentil.*, l. I, c. 65 ; *Ibid.*, c. 57, 60, 77 ; *Ibid.*, l. IV, c. 11 ; *Sum. Theol.*, p. 1, q. 79, art. 2, et aliis articulis ; *Ibid.*, q. 84, art. 6 ; q. 85 art. 2 et 3 ; *Sum. Theol.*, 1^{a}, 2^{ae}, q. 22, art. 1 ; *De Memoria et Reminiscentia*, l. V.

a) Opiniones alienae.

Hasce in duas dividit turmas ratorum actus secundi vel intellectionis actualis causam esse : hinc solam animam intellectu utentem, inde solum objectum. Coryphaeos citat : priorum quidem Henricum Gandavensem, alterorum vero Goffredum.

1. Henrico Gandavensi, cui praeterea frequentem sententiae objicit mutationem, respondet Magister Oxoniensis : tua si vera esset opinio, semper perpetuoque cognosceret animus [1].

2. Goffredus thesim suam solum objectum causam esse intellectionis ita probat : Intellectionem si animae ceu effectum causae, jam eidem subjecto actum et potentiam adtribueremus. Atqui hoc nequimus. Ergo [2].

Notandus praeterea Goffredus objecto praesentando, specie intelligibili rejecta, solum admittere phantasma.

Militat adversus haec Duns Scotus hisce : 1. Actus potentiaque nisi possent eidem subjecto inesse : *a*) angelo profectus in scientia denegandus esset [3] ; *b*) nullus habitus scientialis animae concedendus esset [4]. 2. Specie intelligibili negata, intellectio phantasmati corporali adjudicari debet, et tunc neganda homini essent : *a*) veritas errorve circa idem, quum phantasma, quia causa naturalis, eundem

[1] « ... si anima est totalis causa activa notitiae genitae... semper erit actualis intellectio in ea, cujus ipsa est causa, et cujus ipsa est causa de se. » 1 *Oxon.*, d. 3, q. 7, nº 3.

[2] « Alia opinio, quae totaliter est in alio extremo (relate ad opinionem Henrici), quae dicit... quod anima intellectiva ut intellectiva est, nihil habet activitatis vel causalitatis respectu intellectionis... quia cum agens sit tale in actu, quale passum est in potentia, sequitur tunc quod idem esset in potentia et in actu. » 1 *Oxon.*, d. 3, q. 7, nº 5.

[3] « ... Angelus, in quo non potest poni talis distinctio in subjecto nullam intellectionem posset habere novam... quia opposito posito, intellectus movebitur a se, vel agens et patiens erunt indistincta subjecto. » *Ibid.*, nº 8.

[4] « Habitus non ponitur praecise ad patiendum, et maxime in passivo summe disposito ad formam, non enim oportet illud facilitari ad recipiendum, quod in se est summe dispositum ad recipiendum, sed intellectus est summe dispositus ad quamcumque intellectionem, quia nihil habet contrarium ; ergo non oporteret ponere aliquem habitum in intellectu. » *Ibid.*, nº 10.

semper produceret effectum [1] ; *b*) omnis operatio intellectus propria [2]. Denique intellectione phantasmati corporali adjudicata, vilificaretur valde anima humana [3].

3. Goffredi opinioni comparat Scotus illam Thomae, qua intellectionis momento intellectus mere pateretur, species autem intelligibilis velut principium formale intellectum informaret. Sic intellectus principium esset tantum materiale cognitionis actualis. En verba ipsius Scoti, quibus doctrinam divi Thomae praesentare vult : « Species objecti in intellectu... est gignens, vel est ratio gignendi notitiam actualem in intellectu ; et ipse intellectus tantummodo se habet tanquam materiale, vel informatus illa specie » [4].

Non praetereundum itaque falsam imputari Sancto Thomae a Scoto sententiam, utpote intellectum cognitionis causam materialem esse. Causa enim materialis cognitionis actualis Aquinati, Aristotelem sequenti, est ipsum objectum cognoscibile materiam cognitionis praebens, dum intellectus causa cognitionis efficiens, effectiva, quia, facultas viva, per semet agit. Sic interpretatur divum Thomam celeber, Aquinatis et Aristotelis, interpres, Silvester Maurus : « Omnis cognitio est a potentia et objecto, ait, sive a cognoscente et cognito. Ratio a priori est, quia omnis cognitio saltem creata est expressio et imitatio atque imago vitalis objecti. Inquantum igitur est vitalis, procedit, a cognoscente ; implicat enim, cognoscentem vivere per aliquid, quod ab ipso non est, sed pure illud recipit ab alio, mere passive se habendo, inquantum vero cognitio est expressio, imitatio et imago objecti, procedit ab objecto. Illud enim, quod requiritur ad effectum, ut assimilet

[1] « Si phantasma causat omnem intellectionem effective, et causa naturalis non agit nisi secundum naturam illam, quae est actu, phantasma nunquam causabit aliquam intellectionem in intellectu nisi conformen phantasmati... et ita non poterit intellectus eamdem complexionem apprehendere nunc ut veram, nunc ut falsam. » *Ibid.*, nº 9.

[2] « Quomodo intellectus discurret syllogizando vel argumentando, si phantasma causat omnem intellectionem ?... Item, quomodo causabuntur intentiones logicas vel relationes rationis ?... Item, quomodo reflectetur intellectus super actum suum ?... » *Ibid.*, nº 10 et 11.

[3] « Quomodo illud non vilificat animam, quod omnem actionem suam naturalem quae est perfectio naturalis tam perfecti entis, effective causat phantasma ? » *Ibid.*, nº 11.

[4] 1 *Oxon.*, d. 3, q. 7, nº 14.

sibi talem effectum, requiritur tamquam causa activa effectus ; cum assimilare sibi effectum sit maxime proprium causae activae » [1].

4. Goffredi opinioni comparat quoque illam Aegidii Romani, cui imputat Scotus sententiam, utpote speciem intelligibilem atque cognitionem idem omnino esse [2].

Ambae : Sancto Thomae et Aegidio imputatae a Scoto sententiae intellectum agnoscunt solum patientem, non autem agentem in momento intellectionis. Unde concludit Scotus :

1. Ex ambabus eadem absurda fluunt, ut ex Goffredi sententia[3].

2. Ambae sententiae falsae, quod maior attentio, ad tam sensibus, quam intellectu cognoscendum, actum cognitionis perficiat, speciemque — ut bene observavit Augustinus — altius figat [4].

b) Ipsius theoria Scoti.

Ex alienis jam expositis concludit ita : « Dico ergo tunc, quod istius (actualis) intellectionis non est totalis causa activa objectum, nec in se, nec in sua specie... nec tota causa intellectionis est anima intellectiva, vel aliquid ejus formaliter. Si ergo nec anima sola, nec objectum solum sit causa totalis intellectionis actualis, et ista sola videntur requiri ad intellectionem, sequitur quod ista duo sunt una causa integra respectu notitiae genitae [5]. »

Atque alibi Doctor Subtilis declarat : « Ad secundum actum, ait, agit pars intellectiva... et species intelligibilis, sicut duae partiales causae [6]. »

[1] *Quaest. Philosoph.*, q. 2.

[2] « ... ipsa notitia actualis genita, sive in sensu, sive in intellectu est species. » 1 *Oxon.*, d. 3, q. 7, nº 15 ; *De Anima*, q. 12, nº 5.

[3] « Conclusio istarum duarum (S. Thomae et Aegidii) opinionum ultimarum improbatur per quaedam argumenta facta contra opinionem secundam (Goffredi). Nam... (et hic enumerat multa absurda jam contra Goffredum enumerata). 1 *Oxon.*, d. 3, q. 7, nº 17.

[4] « Tam in sensu quam in intellectu posito eodem repraesentante, maior attentio vel conatus facit actum perfectiorem... Patet etiam secundum Augustinum, 2 *De Trinitate*, c. 2, quod in attento multum remanent species post visionem, quae non remanent in oculo non attendentis. » 1 *Oxon.*, d. 3, q. 7, nº 17 ; *De Anima*, q. 12, nº 3.

[5] 1 *Oxon.*, d. 3, q. 7, nº 20.

[6] 1 *Oxon.*, d. 3, q. 8, nº 3.

Alibi usquam tandem auctor noster dicit : « Utrumque istorum (intellectus et objectum) aliquo modo est activum ad intellectionem, sed activum partiale [1]. »

Igitur, theoria Duns Scoti, relate ad problema de quo hic sermo, haec est : Intellectus possibilis et species intelligibilis concurrunt, intellectionis actualis vel actus cognitionis abstractivae secundi perficiendi gratia, ut duae causae partiales.

Theoriam hanc suam explicaturus, Magister Oxoniensis, varios plurium in eundem effectum causarum concursus distinguit.

Concursus causarum :

1. Ex aequo, videlicet dignitate virtuteque aequalium ; exempli gratia : duorum corpus trahentium ;

2. Ex iniquo, videlicet dignitate virtuteque inaequalium, et quidem dupplici subordinatione :

a) Essentiali, ut inferior causa nisi virtute superioris non agat ; ex. gr. manus, baculus, pila.

b) Essentiali, ubi causalitas inferioris non pendet a superiore nec vice versa : itaque de se gaudent causae causalitate : superior perfectiore, inferior imperfectiore. Exempli gratia : genitores in generanda prole [2] ; alibi dat Scotus aliud exemplum, nempe : concursus solis et patris in generando filio.

His praemissis, declarat Scotus : ad cognitionem actualem perficiendam intellectus possibilis speciesque intelligibilis con-

[1] *Quaest. Quodlib.*, q. 15, nº 9.

[2] « Distinguo de pluribus causis concurrentibus ad eumdem effectum. Quaedam enim ex aequo concurrunt, sicut aliqui duo trahentes aliquod idem corpus. Quaedam vero non ex aequo, sed habentes ordinem essentialem ; et hoc dupliciter, vel sic, quod superior moveat inferiorem, ita quod inferior non agat nisi quia movetur a superiore, et tunc inferior habet a superiore virtutem illam qua movet. Quandoque autem superior non movet inferiorem, nec dat ei virtutem qua movet, sed superior de se habet virtutem perfectiorem agendi, et inferior habet imperfectiorem virtutem agendi, nec tamen recipit virtutem istam imperfectiorem a superiori, quae est perfectioris virtutis. Exemplum primi membri hujus secundae divisionis, de potentia motiva quae est in manu, et baculo et pila. Exemplum secundi membri, si mater ponatur virtutem activam habere in generatione prolis, illa et potentia activa patris concurrunt ut duae causae partiales, ordinatae quidem, quia altera perfectior reliqua, non tamen imperfectior recipit suam causalitatem a causa perfectiore. » 1 *Oxon.*, d. 3, q. 7, nº 21.

currunt ex iniquo, et quidem subordinatione secunda. Igitur perficiunt intellectionem non superius, id est intellectus possibilis, in inferius, id est in speciem intelligibilem, causaliter agendo nec versa vice, sed ambo juxta currendo [1].

Statuit praeterea inter intellectum speciemque unitatem ordinis : hinc per se, quod ambo concurrant, ut causae partiales, intellectionem ceu effectum communem productum ; inde per accidens, quod in hoc concursu mutuo in se non influant causaliter [2].

Notandum Scotum utramque unitatem absque contradictione statuere potuisse, quandoquidem quaeque aliud spectat objectum : unitas ordinis per se — effectum communem : intellectionem ; unitas autem per accidens — relationem inter binas causas.

Munus speciei intelligibilis in actu secundo.

1. Quoad effectum communem : intellectionem, species intelligibilis est causa partialis non per intellectum, sed, quamquam hoc inferior, « natura sua » [3].

[1] « Ad propositum, objectum intelligibile praesens in se vel in specie intelligibili, et pars intellectiva, non concurrunt ut causae ex aequo ad intellectionem... Concurrunt ergo ista duo, ut habentia ordinem essentialem, non tamen primo modo, quia nec intellectus dat objecto vel speciei rationem suae causalitatis... nec intellectus recipit suam causalitatem ab objecto vel specie objecti... Sunt igitur causae essentialiter ordinatae ultimo loco, scilicet quod una est simpliciter perfectior altera, ita tamen quod utraque in sua partiali causalitate est perfecta, non dependens ab alia. » *Ibid.*

[2] « Intellectus in suo ordine causalitatis est unus, et habet unam formalem rationem causandi, et species vel objectum in suo ordine causandi est una causa, et habet unam rationem causandi, sed non oportet talem causam, prout complectitur omnes causas partiales, habere unam rationem causandi nisi unitatem ordinis, quia si cum unitate ordinis concurrat unitas per accidens, hoc accidit, sed unitas ordinis est per se. Exemplum, sol... et pater... ; sed causa totalis, quae complectitur patrem et solem, non habet aliquam unam rationem formalem causandi, sicut non est una causa nisi unitate ordinis, etsi contingat causas sic ordinatas praeter unitatem ordinis, habere unitatem per accidens, inquantum scilicet una accidit alteri, hoc non convenit eis per se inquantum causae sic ordinatae. » *Ibid.*, nº 23.

[3] « Species vel objectum in suo ordine causandi est una causa, et habet unam rationem causandi. » 1 *Oxon.*, d. 3, q. 7, nº 23 : « Non enim objectum natum est in se vel in specie sui facere intellectionem per aliquid, quod recipit ab intellectu, sed ex natura sua. » *Ibid.*, nº 21.

2. Quoad relationem speciei ad intellectum in concursu, species intelligibilis nulla intellectus activitati causa. Species « non dat intellectui, ait ipse Scotus, aliquam actualitatem pertinentem ad causalitatem intellectus » [1].

Igitur species intelligibilis, objectum praesentans, est occasio tantum intellectui per se acturo atque ex se actum secundum elicituro. « Actum secundum, ait Doctor Subtilis, elicit ipsa potentia, ex virtute sua, activa specie praesentata evocante ipsam potentiam, et determinante ad cognoscendum illud objectum, cujus est species, non tamen aliqualiter ipsam potentiam informante. [2] » Et alibi : « Sicut causa superior determinatur ad agendum, ait Scotus, concurrente aliqua particulari causa inferiori, sicut sol ad generandum hominem concurrente homine agente, et bovem concurrente bove, non autem per aliquam formam in se receptam, ita intellectus, qui est causa superior et causa illimitata, determinatur ad hoc objectum, concurrente causa particulari determinata, puta ad agendum circa hoc objectum, concurrente hac specie. Non enim istud determinans, determinat effective causam indeterminatam superiorem, neque formaliter sicut ratio agendi, sed sic determinat, hoc est virtus activa superior determinata, potest indeterminatum effectum, tali virtute inferiori determinata concurrente [3]. »

Apparet hic Plato, trans Plotinum, assertione objectum intellectui occasione dumtaxat intelligendi.

Munus intellectus possibilis in actu secundo.

1. Quoad effectum communem : intellectionem, intellectus possibilis est causa partialis et quidem causa superior. Intellectus causa superior, quia : *a*) facultas innumerorum capax objectorum, dum objectum, specie praesentatum, unum quod limitatum ; *b*) quia ipsocum agit species, nec versa vice. Intelligimus enim cum volumus [4].

[1] 1 *Oxon.*, d. 3, q. 7, n° 21.

[2] *De Anima*, q. 12, n° 8.

[3] 1 *Oxon.*, d. 3, q. 7, n° 39 ; *De Anima*, q. 17, n° 15 ; 1 *Oxon.*, d. 3, q. 7, n° 31.

[4] « Intellectus in suo ordine causalitatis est unus, et habet unam formalem rationem causandi. » 1 *Oxon.*, d. 3, q. 7, n° 23. « Pars intellectiva

Quoad relationem intellectus possibilis ad speciem intelligibilem in concursu, intellectus possibilis tantum abest, ut a specie intelligibili pendeat, ut in hanc potius influat, quo secum agat. « Ad secundum actum, ait ipse Scotus, agit pars intellectiva... et species intelligibilis, sicut duae partiales causae, et ibi agit pars intellectiva non mota specie, sed prius movens, scilicet agens ut species sibi coagat » [1].

Itaque dum patitur aliquatenus species, intellectus per semet agit haud limitatus. « Alia est indeterminatio materialis propter defectum actus, ait Doctor Subtilis, alia est indeterminatio agentis propter illimitationem virtutis activae, sicut sol est indeterminatus ad multa generandum. Primo modo indeterminatum non agit nisi determinetur per aliquem actum, quia alias non est in actu sufficiente, sed in potentia. Secundo modo indeterminatum, nulla forma alia a se determinatur, sed ex se determinatur ad producendum quemcumque effectum ad quem ex se est indeterminatum ; et hoc praesente passo receptivo, sicut sol, praesente passo, generat quodlibet generabile, ex quo ipsum natum est generari. Ita in proposito, indeterminatio intellectus non est indeterminatio potentialitatis passivae in ordine causalitatis, sed est indeterminatio actualitatis quasi illimitatae, et ideo non determinatur per formam, quae sibi sit ratio agendi, sed tantummodo per praesentiam objecti (in specie intelligibili praesentati), circa quod determinatum nata est esse determinata intellectio [2]. »

Ergo intellectum nostrum considerando relatum sive ad intellectionem, sui cum specie agentis effectum, sive ad ipsam communem hanc actionem inveniemus causam superiorem, principalem, ab altero elemento, specie videlicet, minime pendentem,

habet principaliorem causalitatem respectu cognitionum... Probo... Intellectus habet virtutem quasi illimitatam et indeterminatam respectu omnium intellectionum ; objecta autem a nobis naturaliter cognita habent virtutem determinatam respectu determinatarum intellectionum, quae sunt ab ipsis... Secundo, quia illa est principalior causa qua agente, alia causa coagit, et non e converso ; intellectu autem nostro agente ad intellectionem, objectum in se vel in sua specie coagit, est enim in potestate nostra intelligere, quia intelligimus cum volumus. » 1 *Oxon.*, d. 3, q. 8, nº 2.

[1] 1 *Oxon.*, d. 3, q. 8, nº 3.

[2] 1 *Oxon.*, d. 3, q. 7, nº 39.

semet ad agendum determinantem, per semet agentem, imo in speciem, ut secum agat, influentem. Inde fluxit haec Doctoris Subtilis propositio uno loco emissa : « Intellectus possibilis est causa totalis actus intelligendi [1]. » Nec mirum !

Intellectum possibilem intellectionis causam per excellentiam agentem, eamque a specie intelligibili minimopere pendentem declarat Scotus Augustini auctoritate, quem, quotiens de actu secundo tractat, citat. At Aristoteli rato intellectum possibilem pati concenturus, notione passivitatis fuse subtiliterque divisa, praetendit Magister Oxoniensis intellectum possibilem a semet ipso pati, a specie autem intelligibili nequire. Patitur vero a se actum suum ipsemet recipiendo, eo nempe sensu quod intellectus naturaliter agendo parit intellectionem, sed partam recipit patiendo [2]. Vult Scotus intellectum possibilem ab Aristotele hoc sensu patientem declaratum [3].

En Scoti de cognitionis abstractivae actu secundo theoriam, funditus ab illa Thomae diversam ! Nam Aquinati intellectus possibilis in cognitionis actu prius patitur recipitve speciem intelligibilem, dein, per ipsam ad actionem determinatus, agit. Scotus invertit vices, adeoque intellectum possibilem agentem per excellentiam statuit, a specie intelligibili nil passum, a semet patientem solo.

Platonis et Aristotelis hic congrediuntur systemata : subjecti activitatem illud, hoc passivitatem extollentia.

Igitur Thomas passivitatis potentiae cognitivae cultor con-

[1] *De Anima*, q. 17, nº 10.

[2] Haec sententia obviabit nobis apud Occamum, imo apud Suarezium aliosque cum gravi momento.

[3] « Ad auctoritatem Philosophi, 3 *De Anima*, quod intelligere est pati... dico quod Philosophus locutus est communiter de potentiis animae inquantum sunt, quibus formaliter sumus in actu secundo, puta de sensu inquantum est quo formaliter sentimus, de intellectu inquantum est quo formaliter intelligimus ; formaliter autem intelligimus intellectu inquantum recipit intellectionem, quia si causat eam active, non tamen dicor intelligere intellectu inquantum causat, sed inquantum habet intellectionem ut formam. Habere enim qualitatem est esse quale, et ita intellectum habere intellectionem sive recipere, quod idem est, est ipsum esse intelligentem ; nos igitur intelligimus intellectu in quantum recipit intellectionem. » 1 *Oxon.*, d. 3, q. 7, nº 37 ; *Quaest. Quodlib.*, q. 15, nº 12 ; *De Anima*, q. 12, nº 8, usque ad finem.

sequenter objectivitatem cognitionis tuetur ; Scotus nimius activitatis potentiae cognitivae cultor objectivitatem cognitionis, quin consequentiam laedat, tueri haud valet. Quomodo enim fieret, ut intellectus reapse cognoscat objectum, in specie intelligibili praesentatum, quod suam actionem non ceu causa exerceret, sed ceu mera occasio excitaret dumtaxat, ut vult Magister Oxoniensis ? Exasperat difficultatem modo explicandi actum primum cognitionis abstractivae, dum — ut vidimus — sustinet intellectum agentem solum fingere speciem intelligibilem cooperante accidentaliter tantum phantasmate, quod, mera occasio, etiam abesse potest.

Ex universis hucusque dictis patet Scotum, dum satagit extollere, humiliare intelligentiam : in idealismum labendo, adeoque objectivitatem cognitionis intellectualis in discrimen adducendo.

Libenter concedimus quidem haud perspexisse sequelas doctrinae suae Doctorem Subtilem, imo bona fide intelligentiae primatum tuitum esse — at ne optima quidem intentio logicae leges eludet unquam, nec de internis judicat praetor.

Denique Scoti de cognitione abstractiva theoriam cum ejusdem universa de cognitione doctrina, imo cum universo systemate philosophico comparantes invenimus Doctorem Subtilem :

Empirismo intellectuali de cognitionis sensitivae objectivitate problema soluturum, ipsius abstractivae cognitionis fundamentum labefecisse ;

Intellectuali directaque cognitione singularis sensibilis accepta, sensibilium rerum essentias ceu proprium intellectus objectum simul acceptare jam nequivisse ; neque phantasiam, sine adjutorio revelationis, neque speciem intelligibilem cognitioni intellectuali abstractivae necessarias consequenter demonstrare ;

Materia prima ceu reapse actuali accepta debuisse acceptare corpus humanum, antequam animae jungatur, jam actualis ; adeoque relationem inter utrumque concipere talem, qua negaretur facultatis cognoscitivae passivitas et consequenter : necessitas nexus causalis objectum inter atque facultatem cognoscitivam, phantasma inter atque speciem intelligibilem producendam, speciem intelligibilem impressam inter atque intellectum possibilem ; in summa debuisse acceptare cognitionis abstractivae mere idealisticam conceptionem.

3° De cognitione animae propriae suorumque habituum ; seu quomodo anima semetipsam suosque habitus cognoscat ?

In hacce pariter quaestione Duns Scotus adversarium habet S. Thomam. Hujus itaque doctrinam, breviter expositam, necessario praemittendam putamus.

1. Sancti Thomae doctrina.

Quum S. Thomas, problema laudatum tractans, duplicem animae cognitionem : hinc de se, inde de habitibus suis distinguat, et nos distinguemus.

Atque cognitionem de se animae ubicunque [1] sustinet bifurcam, utpote priorem de existentia sua, alteram de natura sua.

1. De existentia cognitionem duplicem consideravit : habitualem et actualem :

a) Habitualem cognitionem, nempe nec pure potentialem, nec pure actualem trahit anima ex essentia sua, eo sensu quod sicut habitu scientiae alicujus particularis armata capax est omnia objecta intra ditionem ejusdem habitus cognoscendi, ita pariter essentia sua sibi praesente percipiendi capax est existentiam suam.

Divus Thomas, cui vera cognitio actualis est, habitualem hanc cognitionem admisit tantum, ut salvaret auctoritatem Augustini cognitionem animae per essentiam affirmantis hac sententia : « Mens seipsam per seipsam novit, quoniam est incorporea [2]. »

b) Actualem autem cognitionem trahit anima non ex essentia sua, sed ex actibus suis, eo sensu quod facto actualis sensationis intellectionisve percipit se esse. Existentiam itaque suam cognoscit anima inseparabiliter ab actibus suis et propter illos actus [3].

[1] *De Veritate*, q. 10, art. 8 ; *Sum. Theol.*, p. 1, q. 87, art. 1 ; *Sum c. Gentil.*, l. III, q. 46.

[2] 9 *De Trinit.*, c. 3, in fine.

[3] « De anima duplex cognitio haberi potest ab unoquoque, ut Augustinus dicit in 9 *De Trinit.*, c. 4. Una quidem, qua uniuscujusque anima se tantum cognoscit quantum ad id quod est ei proprium ; et alia qua cognoscitur anima quantum ad id quod omnibus animabus est commune. Illa enim cognitio quae communiter de omni anima habetur, est qua

Cum autem sancto Thomae principium actuum praesentia sit animae, haec existentiam suam cognoscit per praesentiam suam non autem per speciem intelligibilem : « Non ergo per essentiam, ait ipse Aquinas, sed per actum suum se cognoscit intellectus noster, non tamen per speciem aliquam intelligibilem sed per suam praesentiam [1]. »

2. De natura animae cognitionem etiam duplicem consideravit : per apprehensionem et per judicium, quod omnis cognitio intellectualis humana apprehensione et judicio exerceatur perficiaturque.

a) Per apprehensionem exercet perficitque anima cognitionem suam specie intelligibili, sensibus abstracta, eo sensu quod haud cognosceret naturam suam nisi cognitis prius naturis circa se rerum, et quidem speciebus sensibus abstractis. Citat Aquinas, exempli gratia, modum quo philosophi naturam animae

cognoscitur animae natura ; cognitio vero quam quis habet de anima quantum ad id quod est sibi proprium, est cognitio de anima secundum quod habet esse in tali individuo ; unde per hanc cognitionem cognoscitur an est anima, sicut cum aliquis percipit se habere animam ; per aliam vero cognitionem scitur quid est anima, et quae sunt per se accidentia ejus. Quantum igitur ad primam cognitionem pertinet, distinguendum est ; quia cognoscere aliquid est habitu et actu. Quantum igitur ad actualem cognitionem, qua aliquis considerat se in actu animam habere ; sic dico, quod anima cognoscitur per actus suos. In hoc enim aliquis percipit se animam habere, et vivere et esse, quod percipit se sentire et intelligere, et alia hujusmodi vitae opera exercere ; unde dicit Philosophus in 9 *Ethic.*, cap. 9 inter princ. et med. : Sentimus autem quoniam sentimus ; et intelligimus quoniam intelligimus ; et quia hoc sentimus, intelligimus quoniam sumus. Nullus autem percipit se intelligere nisi ex hoc quod aliquid intelligit : quia prius est intelligere aliquid quam intelligere se intelligere ; et ideo pervenit anima ad actualiter percipiendum se esse, per illud quod intelligit vel sentit. Sed quantum ad cognitionem habitualem, sic dico quod anima per essentiam suam se videt, idest ex hoc ipso quod essentia sua est sibi praesens, est potens exire in actum cognitionis sui ipsius ; sicut aliquis ex hoc quod habet alicujus scientiae habitum, ex ipsa praesentia habitus est potens percipere illa quae subsunt illi habitui. Ad hoc autem quod percipiat anima se esse, et quid in se ipsa agatur, attendat, non requiritur aliquis habitus ; sed ad hoc sufficit sola essentia animae, quae menti est praesens ; ex ea enim actus progrediuntur, in quibus actualiter ipsa percipitur. » *De Veritate*, q. 10, art. 8.

[1] *Sum. Theol.*, p. 1, q. 87, a. 1 ; 3, dist. 23, q. 1, a. 2 ; *De Veritate*, q. 10, a. 8.

investigabant. Primo enim rerum circa se naturas cognoscebant, dein percipiebant se easdem naturas speciebus intelligibilibus, adeoque immaterialibus percepisse, unde mentem a corpore haud pendere concluserunt.

b) Per judicium exercet perficitque anima cognitionem naturae suae illuminatione divina, eo sensu quod perveniat ad cognitionem naturae suae : judicando ratiocinandoque, quibusdam per se notis usa, velut criteriis objectivitatis judiciorum ratiociniorumque suorum ; quae quidem per se nota, lumine intellectus agentis, qui participat intellectum divinum, naturaliter cognoscit [1].

En quomodo Aquinati anima semet cognoscat !

Habitus vero suos cognoscit similiter, quod cognoscat : 1. Existentiam eorum ex eorumdem praesentia : principio videlicet actuum, per quos ipsi habitus percipiuntur ; 2. Naturam eorum

[1] « Si loquimur de cognitione animae, cum mens humana speciali aut generali cognitione definitur ; sic iterum distinguendum est. Ad cognitionem enim duo concurrere oportet ; scilicet apprehensionem, et judicium de re apprehensa : et ideo cognitio qua natura animae cognoscitur, potest considerari et quantum ad apprehensionem, et quantum ad judicium. Si igitur consideretur quantum ad apprehensionem, sic dico, quod natura animae cognoscitur a nobis per species quas a sensibus abstrahimus... Unde mens nostra non potest se ipsam intelligere ita quod se ipsam immediate apprehendat ; sed ex hoc quod apprehendit alia, devenit in suam cognitionem... quod patet intuendo modum quo philosophi naturam animae investigaverunt. Ex hoc enim quod anima humana universales rerum naturas cognoscit, percipit quod species qua intelligimus, est immaterialis ; alias esset individuata, et sic non duceret in cognitionem universalis. Ex hoc autem quod species intelligibilis est immaterialis, intellexerunt quod intellectus est res quaedam idependens a materia ; et ex hoc ad alias proprietates intellectivae potentiae cognoscendas processerunt ; et hoc est quod Philosophus dicit in 3 *De Anima*, com. 16, quod intellectus est intelligibilis, sicut alia intelligibilia... Si vero consideratur cognitio quam de natura animae habemus quantum ad judicium quo sentimus ita esse, ut deductione praedicta apprehendimus ; sic notitia animae habetur inquantum intuemur inviolabilem veritatem, ex qua perfecte quantum possumus definimus, non qualis sit uniuscujusque hominis mens, sed qualis esse sempiternis rationibus debeat, ut Augustinus dicit 9 *De Trinit.*, cap. 6 ; hanc autem inviolabilem veritatem in sui similitudine, quae est menti nostrae impressa, inquantum aliqua naturaliter cognoscimus ut per se nota, ad quae omnia alia examinamus, secundum ea de omnibus judicantes. » *De Veritate*, q. 10, art. 8.

vero per studiosam inquisitionem : apprehensione judicioque constantem [1].

Praedicta Sanctus Thomas doctrina, de modo quo anima se suosque habitus cognoscat, intuitionem excludendo, consonat sibi docenti : 1. Objectum intellectus humani proprium quidditates rerum sensibilium esse, atque propterea animam, quodcunque cognoscit, adeoque semetipsam suosque habitus, cognoscere per relationem ad quidditates rerum sensibilium ; 2. Animam corpori ceu formam ejusdem substantialem intime junctam, adeoque hominem subjectum essentialiter psycho-materiale seipsum nonnisi psycho-materiali modo cognoscere posse.

Doctrinam suam de modo, quo anima se suosque habitus cognoscat, probaturus Aquinas Aristotelis auctoritatem invocat frequenter.

2. Duns Scoti doctrina.

Discrepat Doctor Subtilis scienter ab Aquinatis etiam fideliter praesentata doctrina : « Haec opinio videtur probabilis, ait ipse, et bene declarat sua fundamenta, praeter hoc quod dicit, quod anima nec se, nec suos actus cognoscit intuitive... Item dico de habitibus [2]. »

§ 1. Fontes.

De animae ejusdemque habituum cognitione tractat Scotus in : 1. Rerum Principio, q. 15 ; 2. Prologo ad opus Oxoniense, q. 1 ; 3. 2 Oxoniensi, d. 3, q. 8 ; 4. De Anima, q. 19. Hos inter fontes eminet opus De Rerum Principio, ubi philosophus noster problema laudatum discutit ex professo, quod ipse indicat titulus : « Utrum intellectus cognoscat se, et habitus suos per essentiam, vel per actus, vel per speciem ; et hoc est quaerere : Utrum essentia animae,

[1] « ... necesse est quod per actum suum cognoscatur (habitus) ; sive dum aliquis percipit se habere habitum per hoc quod percipit se producere actum proprium illius habitus ; sive dum aliquis inquirit naturam et rationem habitus ex consideratione actus. Et prima quidem cognitio habitus fit per ipsam praesentiam habitus quia ex hoc ipso quod est praesens, actum causat, in quo statim percipitur. Secunda autem cognitio habitus fit per studiosam inquisitionem, sicut supra dictum est de mente. » *Sum. Theol.*, p. 1, q. 87, a. 2 ; *De Veritate*, q. 10, a. 9 ; *Sum. c. Gentil.*, l. III, c. 46.

[2] *Rer. Princ.*, q. 15, nº 16.

et suorum habituum sit ei ratio cognoscendi, sicut actus ; vel requiratur species aliqua genita cognoscentis sui intellectus, quae sit ratio, et medium cognoscendi eam », dum in reliquis operibus per fragmenta tantum.

§ 2. De variis generibus cognitionis animae humanae habituumque ejusdem, et speciatim quomodo anima se suosque habitus cognoscat intuitive [1].

Quod problema discussurus, Scotus triplicem distinguit cognitionem : *a*) speculativam, qua essentia rei universalis per speciem suam cognoscitur ; *b*) arguitivam, qua causa cognoscitur arguiturque ex effectu, verbi gratia, ex fumo ignis ; *c*) intuitivam, qua rem immediate intuemur dum, exempli gratia, rem coloratam immediate visu percipimus [2] eidemque problemati triplicem hanc applicat cognitionem.

a) *Speculativa animae ejusdemque habituum cognitio.*

Speculativa cognitione percipimus quidditatem animae humanae ejusdemque habituum absolute, nimirum : non prout in hoc aliove invenitur individuo, sed ut in cunctis.

Cognitionem hanc exercemus perficimusque : *a*) specie intelligibili intellectui possibili impressa, id est, simplici apprehensione thomistica ; *b*) laboriosa investigatione circa actus animae habitusque : judicando nempe et ratiocinando, quod absque illuminatione divina Scotus, par Thomae, fieri posse negavit [3].

[1] « Ut titulus hujus secundae paragraphi intelligi possit, dicendum : secundum Scotum solam cognitionem animae intuitivam ad animam propriam cognoscentis referri, dum cetera genera cognitionis tam ad propriam, quam ad animam aliorum referuntur.

[2] « Contingit rem quamlibet tripliciter cognoscere ; scilicet arguitive, intuitive et speculative. Arguitive, sicut cognoscendo ignem esse, videndo fumum : arguit enim intellectus, quod si effectus est, causa est. Intuitive, sicut dum rem visibilem directo aspicio actu. Speculative, sicut dum intelligo quidditatem universalem rei per speciem ejus, quam habet apud se. » *Rer. Princ.*, q. 15, n° 1.

[3] « Si... loquamur de cognitione speculativa... prout scilicet cognoscitur res, non haec, vel illa, mea, vel tua, sed absolute ; iste modus communis est omni animae rationali, nec plus respicit meam, quam tuam,

b) *Arguitiva animae ejusdemque habituum cognitio.*

Arguitivam tractans cognitionem, illam animae largius quam habituum exponit ; ita tamen ut nullum relinquat dubium, quin a se de animae cognitione dicta illi quoque habituum cognitioni sint applicanda.

Arguitiva animae ejusdemque habituum cognitio perficitur « a posteriori », scilicet a functionibus animae conclusione, nullius speciei ope. Cognitione hac agnoscimus prae ceteris animam nostram existere ; inde quod volo, quod intelligo, quod judico, quod libere ago agnosco animam in me existentem [1].

Possumus arguitiva cognitione ipsam animae nostrae essentiam quoque cognoscere, ut v. gr. actibus animae intelligendi volendique ut immaterialibus spiritualibusque agnitis, ipsam animam ut immaterialem spiritualemque substantiam agnoscamus [2].

Arguitivae cognitionis via progressi, praeter nostrae animae existentiam naturamque notas, ceterorum quoque viventium : sive hominum, sive animalium, sive denique plantarum animarum existentiam naturamque cognoscemus, ita ut in plantis genera-

cum sint ejusdem quidditatis, ac per hoc qui novit unam, novit reliquam. Quid igitur sit anima quidditative, partim cognoscimus naturali impressione... Item, habet omnes virtutum, et habituum notiones, ut dicit 2 de libero arbitrio, cap. 3 et in lib. de Spiritu et Anima, cap. 10, dicit (Augustinus) : quod habet impressam notitiam boni perfecti, per subtilem investigationem, dum per actus spirituales inquirendo a posteriori devenit anima in notitiam talis naturae... Consumatur autem haec notitia, quid sit anima, sub irradiatione lucis aeternae super mentem nostram. » *Rer. Princ.*, q. 15, n° 4.

[1] « Loquendo igitur de cognitione modo arguitivo, vere cognoscimus animam esse, vel quia est... Hanc autem cognitionem habemus de anima... sine aliqua specie, sed a posteriori per effectus suos, et operationes. » *Ibid.*, n° 1.

[2] « Cognoscit ergo (anima) primo aspectu suos actus interiores esse, et inesse, ita quod isti actus, absque omni specie sunt ratio cognoscendi, quo ipsa est etiam in corpore. Postea considerat conditionem actuum, quid sint, quo cognito, cognoscit quid sit potentia, a qua actus procedit, quia spiritualis et immaterialis, sicut est actus : ita ut prima notitia quid sit actus, sit sibi ratio absque omni specie cognoscendi, quid ipsa sit. Quid etiam sint actus, etiam cognoscit arguitive, per conditiones absque omni specie. » *Ibid.*, n° 25.

tionem nutritionemque agnoscendo vegetativam animam detegamus ; in animalibus sensationem, imaginationem, motum agnoscendo sensitivam animam detegamus ; denique in hominibus intelligendi, ratiocinandi, discutiendi, consiliandi, libere agendi potestatem agnoscendo intellectivam liberamque animam detegamus [1].

Cognitionis arguitivae occasione apparet Scotus animae propriae cognitionem majoris aestimare, quam alienarum animarum illam, idque propter modum, quo quisque cognoscat suam, experimentativum nempe. Actus enim nostros, quibus inducti concludimus animam nobis inesse eamque spiritualem liberamque, non solum cognoscimus, sed, quod plus valet, experimur [2].

Experimur autem actus nostros, ex. gr. volitionis, deliberationis, etc. [3], interiore spiritualique sensu, qui, in perceptione actuum nostrorum interiorum, munere fungitur simili ei, quo sensus particularis in cognitione objectorum exteriorum. Ut sensus particularis animae sensitivae vis ima, sic animae spiritualis vis ima sensus interior. Sicut sensus particularis solus, ceterae vero potentiae sensitivae hocce tantum sensu particulari mediante,

[1] « Isto modo (cognitione arguitiva) non solum cognoscimus animam nostram esse, et in nobis esse, sed animas aliorum esse, et in aliis esse, et varias in variis esse. Cum enim in plantis videamus aliqua opera communia quibuslibet, ut nutrire et generare : quaedam communia animabus et hominibus... ut sentire, imaginari, moveri de loco ad locum ; quaedam propria hominibus, ut ratiocinari, et intelligere, discutere, consiliari, libere agere : ex primis operationibus cognoscimus aliquam formam communem esse animalibus et plantis, quam dicimus vegetativam... Ex secundis actionibus aliquam communem esse animalibus, ut sensitivam... Ex aliis dicimus aliquam specialem formam esse in hominibus, quam dicimus intellectivam. » *Ibid.*, nº 2.

[2] « In hoc igitur residet hujus quaestionis inquisitio, quod anima humana cognoscit se esse et corpori inesse per actus suos intrinsecos, et extrinsecos absque specie ; illos autem actus cognoscit absque specie, sola mentis experimentatione. » *Ibid.*, nº 25.

[3] Adverte, benigne lector, Scotum cognitionem arguitivam animae nostrae ex actibus internis, id est pure spiritualibus deducere conari, quia « non intelligo, ait ipse, ut dicunt aliqui, quod actus, quibus quaelibet anima deducitur in sui ipsius notitiam, solum sint actus eliciti ab imaginatione, vel a sensibus, quia tam per actus exteriores, quam per interiores... anima potest devenire in notitiam sui. » *Ibid.*, nº 21.

actualem percipit existentiam objecti externi, ita solus intellectus, qua sensus interior, actus intimos nostros percipit ; sicut sensus particularis solus actualitatem existentiae rei extra positae experitur, ita solus intellectus, qua sensus interior spiritualisque, actus nostros interiores spiritualesque experitur [1].

Et quia cognitione quacunque certior experimentatio intima, sequitur cognitionem arguitivam animae nostrae suorumque habituum, cujus cognitionis fons est experimentatio intima, quacunque alia cognitione certiorem, imo « principium certitudinis » et « centrum immobile veritatis », esse [2].

Cognitio nostra arguitiva, propter experimentationem, fontem sui certitudinemque suam maximam, licet nondum intuitiva, tam necessaria est intuitioni ut nisi eam praecedat, haec perfici nequeat [3].

De cognitione arguitiva loquens Duns Scotus indesinenter auctoritatem Augustini appellat.

[1] « Aestimo, quod omnis natura creata habet infimum et supremum... sicut virtus sensitiva habet suum infimum sensum particularem... Sed forte est intellectiva animae nostrae, quae quamvis se tota sit non organica, habet tamen suum infimum, quod tenet se ex parte portionis inferioris. Et illa est, quae exigitur ad cognitionem, et experimentationem actuum nostrorum interiorum, sicut sensus particularis corporalis ad cognitionem, et experimentationem actualitatis existentiae rerum sensibilium. Et sicut nulla potentia apprehendit rem extra existentem, nisi sensus particularis, vel ipso mediante, et in suo actu existente, sic vis intellectiva non cognoscit actus nostros intimos, utpote, velle, amare, et similia ; nisi ille sensus interior intellectualis, et spiritualis, vel ipso mediante, et in suo actu existente, ut anima, sic serviat intellectui quoad cognitionem sui et habituum, sicut sensus particularis corporalis exterior, quoad cognitionem rerum sensibilium. » *Ibid.*, nº 20.

[2] « ... Ideo conjectura de aliis per actus certitudo haec non habetur : de me autem experimento intrinseco, et infallibili sensu interiori, hoc est, in intellectu experior actus tales meos esse, utpote me velle deliberare, et similia. Et ideo talis cognitio arguitiva de anima mea est certissima, sicut dicit Augustinus in auctoritate supra citata (de Spiritu et Anima-opus spurium) : imo est principium certitudinis, quam de omni alio habeo, et centrum immobile veritatis. » *Ibid.*, nº 3.

[3] « Impossibile est quod anima se, vel habitus suos intueatur, nisi prius etiam habita notitia de actibus suis sensu interiori, quo experimentatur actus suos interiores spirituales, sicut sensu corporali particulari experimentatur res corporales exteriores. » *Ibid.*, nº 19. « Animam nostram per actus suos cognoscimus arguitive, quae tamen cognitio de se non est intuitiva : terminatur tamen finaliter ad intuitivam. » *Ibid.*, nº 3.

c) *Intuitiva animae nostrae suorumque habituum cognitio.*

Datur cognitio animae nostrae suorumque habituum intuitiva, quae autoreflexione perficitur, facitque ut anima existentiam essentiamque tam suas, quam habituum suorum illas intueatur. Quod philosophus noster hisce probare conatur :

1. Auctoritate : Augustini, quem plurimum citat [1] ; item Avicennae, qui hanc singularem miramque hypothesin excogitavit : « Si homo haereret in aëre, membris dissolutis omnino, cohaesione quacunque sublata, adhuc perciperet se existentem [2]. »

2. Experientia, cujus vi, quotiescunque voluntas, exempli gratia, actum exercuit, conscii fimus ejusdem actus, adeoque sensu interiore nos hoc velle sentimus — atque utrumque complectitur intuitio [3].

Difficultati, quam inter alios et Aquinas movit, multos philosophos circa naturam animae errasse, putando eam ignem, aërem, corpus, etc., hujusmodi, neque errassent unquam si homo essentiam animae suae cognosceret intuitive, respondet Doctor Subtilis : errores tales explicari posse eo, quod multi homines carni concessissent super spiritum dominatum, ut nec in praxi nec in theoria ex materia emergere potuissent [4].

Sed qui fit, ut anima se suosque habitus cognoscat intuitive ?

[1] « Quod autem anima super se reflectendo, se intuitive cognoscat, et si est, et quid est : et similiter reflectendo suos habitus, cognoscat et in se esse, et quod sunt, videtur expresse sentire Augustinus in epistola ad Paulinum, cap. 2 de videndo Deo... expresse dicit Augustinus 13 de *Trinit.*, cap. primo... Item, Augustinus in quadam epistola ad Nebridium... Item 7 super Genesim, cap. 14. » *Ibid.*, nº 16 et 17.

[2] « Patet per Avicennam 6 Naturalium tractat. 1 cap. 1 in fine ; ubi dicit, quod si crearetur unus homo, et poneretur per impossibile in aëre, ita quod ejus membra non sibi cohaererent, sed omnia essent distincta, nec aliquod de suis membris perciperet, nec de aliis non dubitaret, sed affirmaret se esse. » *Ibid.*, nº 18.

[3] « Experimentum etiam videtur ad hoc facere, nam dum in voluntate nostra oritur ipsum velle, experior inde velle, et quod sensu interiori sentio inde velle ; ergo tale velle sensus interior intuetur. » *Ibid.*

[4] « Nec valet, si instes, quod multi decipiuntur circa animam, dicentes eam esse ignem, aërem, corpus et similia... Hoc enim ideo fit, non quin possit se intueri, si diligenter se inquireret, seque a rebus corporalibus abstraheret : sed sicut aliqui diligendo carnalia, sic sunt depasti carnalibus,

Respondet Scotus : gemina cognitionis intuitivae phasi : *a*) priore, quam « initium », « inchoationem, » et « inceptionem » [1] appellat, quaeque est arguitiva, qua existentiam essentiamque tam suas quam habituum suorum illas percipit anima, cognitio, experimentatione actuum interiorum per sensum spiritualem innixa : « dico, ait ipse Doctor Subtilis, quod animae (si loquamur de notitia (intuitiva), quam habet anima de se, quoad hujusmodi notitiae inceptionem) notitia de se, a notitia actuum suorum incipit, et notitia quam habet de habitibus suis, a notitia actuum illorum habituum : et sic cognoscendo actum, utpote velle, cognoscit arguitive aliquid, discernendo se esse : et postea cognoscendo naturam, et modum actuum, utpote quod actio intelligendi est immaterialis, reflexiva, et similia, arguit potentias tales esse, et per potentias quid sit substantia » [2] ; *b*) altera phasi, quam « terminum et consumationem » [3] vocat, quaequae ipsamet jam est intuitio, proprie dicta, per autoreflexionem dupliciter consideratam : *aa*) negative, quatenus mens humana super se reflectens ab exterioribus sequestratur, et *bb*) positive, quatenus eadem mens, intuitu in essentia sua suorumque habituum fixo, se suosque habitus, in specie expressa, contemplatur : « dum autem intellectus quid sit apprehendit, prosequitur Doctor Subtilis, determinatur ad intuitionem, qua mens ab exterioribus sequestrata, et super se reflexa, se et suos habitus intuetur per speculum intellectuale, per actum fixum super essentiam animae et habituum » [4].

En Duns Scoti de modo, quo anima se suosque habitus intuitive cognoscat, doctrina.

Terminavit autem auctor hanc, de cognitione animae humanae ejusdemque habituum, dissertationem septem adductis argumentis pro speciei expressae necessitate ad intuitivam cognitionem exercendam. Quibus exponendis tamen supersedemus, quod nec ipsa, nec res cui militant intersunt nostra.

quod nullum spirituale convenit eis simpliciter ; sic in cognoscendo sunt imbuti formis, et imaginibus carnalibus, quod nihil aliud quam corporalia esse credunt. » *Ibid.*, nº 24.

[1] *Ibid.*, nº 19 et 24.

[2] *Ibid.*, nº 24 ; vide etiam nº 19.

[3] *Ibid.*, nº 19.

[4] *Ibid.*, nº 24 ; vide etiam nº 26.

§ 3. Duns Scoti, de animae propriae suorumque habituum cognitione intuitiva, doctrina unde sit orta ?

Scotus ab Aquinate hac, quam de animae propriae suorumque habituum cognitione intuitiva excogitavit, essentialiter differt doctrina, cum principiis generalibus philosophiae suae quadrante :

1. Vidimus jam divum Thomam, propter duas theses : alteram de objecto intellectus proprio, alteram de animae ad corpus relatione, cognitionem animae ejusdemque habituum intuitivam respuisse.

Vicissim Doctor Subtilis Aquinatis thesim priorem reiecit, quatenus non, ut Aquinas, ex essentia rerum sensibilium, sed ex ente in communi objectum intellectus proprium constituit ; secundam vero essentialiter modificavit, quatenus cum Bonaventura, Alexandro Halensi, Rupella et Henrico Gandavensi statuit in eodem subjecto simul existere : corporeitatem, formam corporis ut corporis, atque animam, formam corporis animati [1], contra Thomam sustinentem solam animam corporis formam esse.

Itaque Thomae priore thesi rejecta, altera essentialiter modificata, liber fuit Scotus cognitionem animae ejusdemque habituum intuitivam, absque inconsequentia, admittendi.

2. Invenimus inclinare Scoto animum ad cognitionem experimentativam, quippe experimentatione singularis materialis per sensum particularem haud contentus, in campum descendit sensuum ipso cum intellectu singulare materiale « per sensum et mediante sensu » intuitive cognituro. Eo itaque, quod admisit animam se suosque habitus cognoscere posse experimentatione intuitiva, suam cognitionis experimentativae praedilectionem confirmavit.

Ceterum constat sibi vi logicae affirmando posse tanto magis intellectum intuitive cognoscere singulare immateriale, animam nempe, formam dumtaxat corporis animati, quod jam singulare materiale cognoverit intuitive.

3. Saeculo XIII, theoriae platonico-augustinianae asseclae ab

[1] « Universaliter in quolibet animato necesse est ponere illam formam qua corpus est corpus, aliam ab illa qua est animatum. » 4 *Oxon.*, d. 11, q. 3, n° 54.

Aristotelicis differebant prae ceteris modo, quo se suosque habitus anima cognoscat, concipiendi. Dum enim Aristotelici abstractivam propugnabant cognitionem, Platonici intuitivam. Quid ergo mirum, quod Scotus, qui philosophando ubique Augustini vestigia premit, ejusdem Patris de intuitiva quoque animae cognitione theoriam adoptavit, locisque corroborat ?

Adde quod nota scholae, cui adhaeserat Scotus, priva fuit, negativam praedicans autoreflexionem, absoluta ab exterioribus sequestratione stantem, doctrina, quamque jam Philo Judaeus, Plotinus ceterique neoplatonici usque ad saeculum XIII, diffundebant et Doctor noster Subtilis adoptavit.

Patet Scoti de animae nostrae suorumque habituum cognitione doctrinam ceteris ejusdem philosophi theoriis congruam omnino esse.

Superest ut, perfectionis ergo, addamus Doctoris nostri, quam modo exposuimus, de intuitiva animae suorumque habituum cognitione, doctrinam in solo reperiri opere De Rerum Principio, cujus operis authenticitas nondum est probata. In authenticis autem operibus concedit Magister Oxoniensis omnem, tam rerum sensibilium quam animae, cognitionem abstractam esse [1]. En, unde negari possit authenticitas operis De Rerum Principio ! — Cui tamen negationi non favebo propter harmoniam, inter doctrinam Scoti de animae nostrae suorumque habituum cognitione intuitiva ceterasque ejusdem Magistri philosophicas theorias, jam indicatam. Quin potius opinor opus hoc systema continere progressum evolutumque, quum de animae cognitione abstracta theoriae, alibi expositae, hic addat illam de cognitione animae intuitiva [2], quam alteram cognitionem perfectiorem sustinet esse [3].

[1] Prologus ad opus *Oxoniense*, q. 1, nº 11 ; 2 *Oxon.*, d. 3, q. 8 ; *De Anima*, q. 19, et alibi.

[2] Duns Scotus, uno loco in opere suo de *Rerum Principio* : q. 15, nº 26, dicit animam a formis et imaginibus corporalibus abstrahere atque abstractione peracta incipere intuitionem.

[3] *De Rer. Princ.*, q. 15, nº 21.

CONCLUSIO

Quod praefando promisimus tenuimus : universam Scoti de cognitione doctrinam praesentando.

Item promissis tenus, Scoti de cognitione Aquinatisque comparando doctrinas comperimus ambas jam consonare, jam discrepare.

Consonant ambae : negando cognitioni hominis illuminationem divinam necessariam esse ; respuendo ideas innatas ; statuendo geminam in homine cognitionem : intellectualem scilicet et sensitivam, ita ut haec illi subjaceat.

Discrepant : alius aliud intellectui objectum proprium adjudicando : Aquinas quidem, post Aristotelem quidditatem rerum sensibilium, Scotus vero ens in communi ; praeterea, Aquinas, Aristotelem secutus, proclamat hominem in hac terrestri vita intellectualiter a sensibus abstrahendo tantum cognoscere, Scotus vero abstractioni admissae cognitionem intuitivam : hinc singularis materialis, inde animae propriae suorumque habituum, addit.

At ubi congruit Aquinati Scotus, hoc specie tantum, quum sensibilem cognitionem cognitioni intellectuali perficiendae necessariam idealistarum more explicet ; idemque de cognitione abstractiva Subtilem apud Doctorem valet.

Scotus discrepat a divo Thoma praesertim inde — in ea sum sententia — quod in Magistrum Oxoniensem Augustinus atque per hunc Plotinus, imo ipse Plato influxerunt. Jamvero tres illi philosophi cognitionem sensibilem intellectuali cognitioni ejusdemque veracitati semper periculosam suspicabantur. Eos itaque aemulatus Scotus declaravit cognitionis intellectualis munus esse sensitivam cognitionem, etiamsi necessariam sibi, corrigere, ceu sensitivam ; quod apud ipsum intelligi potest, quippe qui concedit

esse quandam intellectualem cognitionem, quae verax maneret, etiamsi sensitiva cognitio quaecunque erraret.

Pariter, quia illi tres philosophi cognoscitivas facultates in cognoscendo pati negarunt, philosophus noster, eos aemulatus, cognitionis abstractivae processum interpretatus est facultatum cognoscitivarum activitatem exaggerando, adeoque negando objectum causae instar in easdem influere valere.

Aperte Scotus in castris militat Platonicorum sua de animae propriae ejusdemque habituum cognitione intuitiva doctrina — per eminentiam platonica.

Platonicae doctrinae tessera etiam in duabus, quae philosopho nostro maxime privae videntur esse, thesibus apparet, videlicet : de cognitione intellectuali singularis materialis intuitiva directa et de objecto intellectus humani proprio. Scotus nempe, admissa Platonicorum theoria de facultatum cognoscitivarum activitate, vindicavit sibi libertatem : 1. Cognitionem singularis materialis intellectualem intuitivam statuendi, quandoquidem thesin hanc : quod essentialiter differentes facultates cognoscitivae intellectus videlicet et sensus haud possunt excitari ad actum nisi essentialiter quoque differentibus objectis, quam thesim Aristotelici propter passivitatem potentiarum cognoscitivarum admiserunt, admittere non debuerat ; 2. Intellectui quidditatem rerum sensibilium, ceu objectum proprium non adjudicandi, quandoquidem thesin hanc : quod intellectus possibilis specie intelligibili vel, quod idem, mera quidditate specificatur informaturque, quam thesin Aristotelici iterum propter passivitatem intellectus possibilis tenuerunt, Scotus iterum tenere non debuerat.

Itaque in Scoti de cognitione doctrina invenimus theorias quasdam aristotelicas, eas nempe quibus cum S. Thoma concordat, alias, easque tam numero quam valore plures, platonicas, quibus a S. Thoma discrepat. Illae si vetant nos Scotum platonicum omnino declarare, istae cum culto quo Augustinum prosequebatur Doctor Subtilis, adeo ut recentissimus Scotista scripserit Magistrum Oxoniensem cum Augustino tantum philosophari [1], obligant

[1] Déodat Marie, de Basly, in opere suo : *Duns Scot et le Statut Catholique de la pensée à l'Université de Paris*, Havre 1909, pag. 54-55 : « Pas une fois je n'ai vu Duns Scot philosopher, je ne dis pas théologiser,

nos opinari in sua de cognitione doctrina Scotum magis Platoni, quam Aristoteli adhaerere, quod caetera ejusdem philosophiae in genere, platonicae potius quam aristotelicae, congruit omnino.

autrement qu'avec l'évêque d'Hippone et par lui. C'est 1700 fois qu'il le cite, pour le suivre ou l'expliquer, alors que, s'il fait d'Aristote 1537 citations, c'est maintes fois pour le combattre, encore qu'il le prise bien au-dessus des autres sages » ; « ... Duns Scot suit saint Augustin en philosophie et le préfère toujours à Aristote. » *Idem* auctor ibidemque.

208.5
D 923T
34362
TOCOHOWICZ, PAULUS
AUTHOR
Johannis Dus Scoti de Cognitionis
TITLE Doctrina

DATE LOANED	BORROWER'S NAME
	STORAGE - CBPL

34362